720

I. B. 85.

LIBRARY OF
THE UNIVERSITY
OF ILLINOIS

FROM THE LIBRARY OF
CONTE ANTONIO CAVAGNA
SANGIULIANI DI GUALDANA
LAZELADA DI BEREGUARDO
PURCHASED 1921

B
N4462nla

112 B

Fr. L.

REVERENDISSIMI PATRIS

D. FELICIS MARII NERINII

CONGR. MONACHORUM S. HIERONYMI DE ITALIA
ABBATIS GENERALIS

DE SUSCEPTO ITINERE SUBALPINO

EPISTOLAE TRES

AD EMINENTISSIMUM CARDINALEM

ANGELUM MARIAM QUIRINIUM

S. R. E. BIBLIOTHECARIUM,
BRIXIAE EPISCOPUM.





MEDIOLANI MDCCLIII.
EX TYPOGRAPHIA BIBLIOTHECAE AMBROSIANAE
APUD JOSEPHUM MARELLUM
SUPERIORUM FACULTATE.

B
N446 n1s

EMIN.MO ET REV.MO PRAESULI

ANGELO MARIAE QUIRINIO

S. R. E. CARD. BIBLIOTHECARIO, BRIXIAE EPISCOPO

P. I. SERVILIANUS LATUADA
S. P. D.

C*Um nihil gratius mihi unquam contingere poſſit, nihil jucundius, quam de Te,* PRINCEPS EMINENTISSIME, *deque rebus Tuis, certè maximis, commemorationem facere, ac meis laudibus, quantulaecumque eae ſint, concelebrare ſaepiſſime; bonis avibus nuncium accepi, Clariſſimum Virum Felicem Marium Nerinium Hieronymianae Familiae Praeſidem Mediolanum propediem Hoſpitaleto adventurum, quo cum a prima uſque aetate neceſſitudinis adſtrictus vinculo, eum ſciebam Tui amantiſſimum, neque minus a Te,*

E. Jones 17N43
CAVAGNA LIBRARY

qua ſoles humanitate ſingulari erga bonos omnes, quampluribus benevoli animi pignoribus cumulatiſſime honeſtatum. Vixdum SS. Coſmae & Damiani in hac Metropoli hoſpitio exceptum intellexi, eum cito adii; neque poſt prima amicae gratulationis officia diu ſermo vagatus eſt, quin ab Optimo Principe alter alteri in ſe nuper collata amoris argumenta commemoraret. Te Februario elapſo praeſentem adiiſſe nunciabam ego, quam comiter ac peramanter a Te complexum, quae de quampluribus Literatis Viris, ac de Nerinio ipſo dixiſſes mihi, quid agere ad Eccleſiae tuae augendum decus molireris, qua honoris teſtificatione ſingulari me proſequutus eſſes, uno veluti verbo prae nimia cordis jucunditate eidem communicavi: ille vero, non impari plane ſignificatione obſequii, devinctique animi, omnia, quae ſibi, quae Sodalitati ſuae jam contuleras, quae nova etiam praebes in dies magis liberalitatis, ac patrocinii teſtimonia ſummis laudibus concelebrabat. Ut autem recentiora mihi declararet Alexiani de Urbe Templi aere Tuo ad umbilicum pene perductae aedificationis monumenta, ex adverſariis ſuis Epiſtolarum, quas ad Te miſit, exemplaria eduxit, legenda tradidit, eaſque comperi ſcribente ſane dignas, dignas pariter accipiente. Illa ut retinerem Nerinius facilè conceſſit, ne vel attente legens colloquia noſtra tunc retardarem, vel brevius delibando, ea me voluptate orbarem, quam ſuaviſſimam ex earumdem concinnitate, ac narratione rerum ab eo pro injuncto ſibi munere geſtarum,

rum, quarum Te certiorem facit, profecto sentiebam. Majore ultra quam exprimere satis possim, delectatione affectus sum, cum Epistolas hasce attente perlegi; quapropter non diu haesitans consilium cepi easdem typis committendi, utpote quod & Praesulis diligentissimi consilium, prudentia, dexteritas palam fiant, & Tibi, PRINCEPS EMINENTISSIME, *debitum pro tot benefactis praeconium, devinctissimique obsequii testimonium exhibeatur; nemo enim has gratiae causa scriptas putabit, cum laudibus cumulatus verissimis, nullis falsis deliniri possis. Quoniam vero quamplura innuuntur minus fortasse cuipiam legenti nota, eadem planius additis adnotationibus explicavi: Deliberationem hanc meam, posteaquam rescivit, Nerinius non improbavit, optime noscens, id potissimum vertere ad Tua celebranda merita, & perenne veluti pignus futurum devinctissimi animi sui, quo Patronum, quo Patrem Te colit, prosequiturque. Reliquum est,* PRINCEPS EMINENTISSIME, *ut qua Eloquentissimi Guidonis Ferrarii e S. J. Orationem* de Optimo Patrefamilias, *in lucem a me productam, Tuoque praeclarissimo nomine illustratam excepisti, tres quoque Nerinii Epistolas, quae sane Tuae sunt, iterum a me oblatas, & publici juris factas, humanitate prosequaris eâdem. Vale.*

Dabam Mediolani XII. *Kalendas Majas* MDCCLIII.

ANGELO MARIAE QUIRINIO

S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO

D. FELIX MARIUS NERINIUS FELICITATEM.

VARIAM & multiplicem ut ad Te dem Epiſtolam, PRINCEPS EMINENTISSIME, res cogit ipſa; quum & conſolari Te debeam in amantiſſimi Fratris morte (1), & excuſare me, quod Romam non ierim ad praeſtitutam diem; mox ſignificare, nullam ex abſentia mea AEdificationi Alexianae afferri moram; denique gratias agere: id quod in tanta tuorum beneficiorum frequentia uſitatum jam mihi eſt, & quodammodo in omnibus litteris ſolemne.

Verum consoler quid ego Te Virum unum omnium & sapientissimum, & constantissimum? Qui eumdem semper in utraque fortuna vultum tenueris, dignitatem eamdem? Genus illud magnificum, & verum consolationis non expectare ab alio, sed petere ipse debes ab animi tui robore, & virtute, quae neque justum dolorem repudiat unquam, neque suscipit immoderatum. Nam & humanum est carissimorum morte moerere, & eodem non affligi moerore praeclarum: Utrumque vero Tuum maxime, qui & humanitate summa & virtute praeditus es singulari. Hac ipsa admirabili virtute non ullo alio permotus obsequio Frater tuus & amavit Te plurimum dum vixit, & moriens haeredem instituit *fideicommissarium*, ut ad quem mortis suae moeror justior, ad eumdem rerum suarum usus perveniret. Cujus haereditatis hunc tu statim fructum putasti maximum, posse illa tua liberalitate uti, ut quo plura haberes, eo plura ad honestissimos, & Ecclesiastico Principe dignos usus conferres, quodque tam bene faceres, posses & uberius & frequentius facere. Equidem audita hac tuarum fortunarum accessione, quum probe noscerem, & expertus etiam essem maximam illam beneficentiam tuam, tum egomet mecum:

Deus

Deus immortalis! Quid intereſt inter mentes hominum, & cogitationes! Nam ſi haec tanta haereditas obtigiſſet uni cuidam ex eorum hominum genere, qui vulgi judicio lauti, ac ſplendidi habentur (atque utinam hujuſmodi exempla in Eccleſiaſticis Principibus Viris nulla eſſent!) ſi uni eorum haec amplificatio divitiarum contigiſſet, quam cogitationem reliquam feciſſet aut amoenitatum ad delectationem, aut ſupellectilis ad delicias, aut epularum ad voluptatem? Advocaſſet confeſtim, a quibus ſigna, tabulas, caelatum aurum, & argentum coëmeret, & ſimile quiddam feciſſet, atque ille Horatianus Ganeo (2),

Qui ſimul accepit patrimonj mille talenta
Edicit piſcator, uti pomarius, auceps,
Unguentarius, ac thuſci turba impia vici
Cum ſcurris farctor cum velabro omne macellum
Mane domum veniant &c.

Noſti cetera, quae tua eſt hiſce etiam in rebus eruditio ſingularis. Sed Tu fraterna auctus haereditate, non modo illis extraordinariis cupiditatibus, ſed neceſſitati ipſi nihil conceſſiſti, quo commodius viveres. Edixiſti ut accurrerent Litterati, Egentes, Pupilli, Viduae, ſacrorum operum redemptores adeo, ut non tu mihi quidem

hae-

haeres, Princeps beneficentiſſime, ſed alienae procurator haereditatis videare. Uni certe *Alexiani* Templi AEdificationi, quam magno animo es aggreſſus, & majore perſequeris, ſtatim permultam pecuniae ſummam aſſignandam curaſti: permultam quum dico, ad tria millia nummûm aureorum, & quidem unius fere anni ſpatio attributa eſſe dico. De quonam etiam Optimo Romanae Eccleſiae Principe tantam pecuniae vim in tam honeſtos uſus effuſam aut audivimus unquam, aut vidimus? Te igitur ſpectet, Te intueatur unum, qui vult in Chriſtiana Republica Perſonam cum dignitate ſuſtinere & Epiſcopi & Cardinalis.

Quod autem ad praeſtitutam diem Romam non ierim, neceſſitatis excuſatio me facile defendit. Etenim, quum Sodalitatis meae rationes tuliſſent, ut *Auguſtam Taurinorum* me conferrem, praecipitante jam autumno, dum illius Urbis pulchritudinem, Regiae Domus magnificentiam, atque elegantiam, Regis ipſius, totiuſque Regiae Familiae benignitatem, quae eximia ſane eſt, ac prope incredibilis, admiror; dum etiam in deliciis haereo villarum, hyems me oppreſſit; quo circa propoſitum illud atque pollicitum meum vis hyemis, nives, aſperitas viarum, longitudo itineris

re-

retardant. Huc accedit, quòd nondum omnia Cisalpinae Galliae Monasteria curae, diligentiaeque meae commissa (quod omnino officii mei est) obiverim. Sed nulla me res tenere poterit, quin Romam advolem primo vere, tuoque desiderio satisfaciam, & pollicitis stem meis.

Sed, ut ego absim, recte nihilominus neque lente procedunt res: Operae enim ac diligentiae meae Vicarius *Bistorgius* homo est, si quis alius, navus atque industrius, qui pro sua in me benevolentia, in totamque Familiam nostram, cujus est Romae Procurator quem vocant Generalis, nihil reliqui facit ad maturandam absolutionem, perfectionemque AEdificationis tuae. Tuae inquam: Quid enim magis tuum, quam quod a singulari tua, ac pene divina liberalitate proficiscitur? Volo autem scias, Templi pavimentum jam constratum pulcherrime: Testudinem ad summum perductam, vetere illa, quae fatiscebat, dejecta, ac disturbata, & quae nova conficitur, jam opere caementitio eleganter ornatam esse. Statuam (3) vero Patroni illius tui BENEDICTI XIII. Pontificis Maximi, quam loco tuae in Templi Alexiani Atrio poni jussisti, & grati erga tantum Pontificem animi tui, & inauditae modestiae testimonium

nium ſempiternum, jam eò eſſe perductam, ut a perfectione ipſa prope abſit: Quamobrem hac de re vacuo, ac tranquilliore animo eſſe debes; in quo equidem non poſſum non admirari praeclaram indolem tuam? Non enim, quòd tantum in nos beneficium contuliſti, eo contentus ſoles eſſe; at ea te cura ſolicitat, angitque vehementer, ut beneficium ipſum magnificum ſit, opportunum, numeriſque omnibus abſolutum; hoc eſt ipſa tua liberalitate dignum.

Extremum nunc illud eſt, quod omnium primum eſſe debuit, Tibi ut PRINCEPS EMINENTISSIME gratias agam pro recentiore tuo (4) mille nummûm beneficio, quod facio equidem libenter, & ex animo. Sed ſic habeto: tantam eſſe meritorum erga nos tuorum magnitudinem, ut ea ne dum verbis, vix cogitatione aſſequi poſſimus. Ego certe ubi intellexi FRANCISCI Fratris tui obitum, ſtatim juſtum illi Funus, & debitum in Templo hujuſce Monaſterii una cum Sodalibus meis rite diligenterque curavi, quod ejus Principis erat Frater, cui & ego privatim, & publice deberem omnia, quod eo ſcripſi, quo intelligeres EMINENTISSIME PRINCEPS, poſſe Te beneficia tua conferre in alios (in quos autem non confers?), qui magis

for-

fortaſſe quam nos digni videantur; in eos autem, qui gratiore animo ſint, certe non poſſe. Haec ſunt, quae Tibi ſtatim ſignificanda eſſe exiſtimavi. Ceterum expecta propediem alia in epiſtola mea explicatam rationem omnem itineris mei; Tua enim beneficia fecerunt, ut quum ſim plane in aere tuo, & totus ut ita dicam ſim tuus, nihil abs Te ignorari debeat earum rerum, quas geſſi, quaſque geſturus ſum. Quae ſi Tibi probabuntur, quaſi in recte factis gloriabor; maximus enim meae gloriae fructus a ſingulari judicio tuo proficiſcitur. Vale, PRINCEPS EMINENTISSIME, ac nobis, & Eccleſiae univerſae bono quam diutiſſime vivas.

Dabam Hoſpitaleti pridie Idus Decembris MDCCLII.

NO-

N O T AE.

(1) *In amantissimi Fratris morte*) nempe FRANCISCI QUIRINII Procuratoris S. Marci, de quo ipsemet Cardinalis humanissimis in litteris ad auctorem hujus Epistolae datis die III. Decembris ita scribit: „ Con
„ la perdita, che ho fatta, già un mese, di un mio amatissimo Fratel-
„ lo, il Signor Iddio mi ha voluto somministrare il modo di continuare
„ a tenere la mano aperta in favore della Chiesa di S. Alessio, e di
„ altri luoghi, ed opere, che mi son preso a cuore di beneficare. Il
„ Defunto per una predilezione veramente prodigiosa, poichè non pro-
„ mossa da veruna o antica, o moderna coltura seco lui usata, mi ha
„ voluto suo erede universale fideicommissario, e però mi ha fatto pa-
„ drone dell' annua rendita di quattro in cinque mila ducati. Per cor-
„ rispondere adunque a un atto sì visibile della divina provvidenza,
„ lascio subito a disposizione di V. P. Reverendissima, e del suo Padre
„ Proccuratore Generale il migliajo consaputo di scudi, e con la Posta
„ di Giovedì prossimo scriverò a' Signori Ruggia, che si uniscano con
„ detto Padre Proccuratore Generale per soddisfare agli Artigiani, e
„ specialmente il Capo Mastro Biagio con quella distribuzione, che
„ stimeranno accomoda.

(2) *Horatianus Ganeo*) Vide Horatium lib. II. serm. III.

(3) *Statuam*) De repudiato ab Eminentissimo Quirinio honore Statuae, praeter ea, quae dixit Auctor in *responsione ad Brixianum Philopatrin*, legesis cum hujus Epistolam ad *Fridericum Freitag*, tum *Jo. Baptistae Branca Hendecasyllabon*. Hìc autem subjicere satis erit novissimam inscriptionem ex Numismate Norimbergae cuso, & in hujusce editionis fronte aeneis formis expresso:

STATUAE HONOREM
SIBI ROMAE DECRETUM
GRATI ANIMI CAUSA
A MONACHIS HIERONYMIANIS
SUB PORTICU TEMPLI S. ALEXII LOCANDAE
ANG. MAR. CARD. QUIRINUS
SUAE ERGA SANCTISSIMUM
BENEDICTUM XIII.
PIETATIS TROPHAEUM
ESSE VOLUIT
ANNO DOM. MDCCLII.

(4) *Pro recentiore tuo mille nummum beneficio*) De quo vide ſuperius not. (1); ſed hìc addere liceat, quae deinceps ad Auctorem ſcripſit idem Princeps vere liberaliſſimus munificentiſſimuſque die x. Decembris:
„ Circa la Fabbrica di S. Aleſſio ſcriſſi Giovedì decorſo a' Signori Ruggia, che ſenza ritardo ſi faceſſe godere alla medeſima il ſuffragio dei ſcudi mille, che prima avevo ordinato doveſſer reſtar ozioſi ſino alla venuta a Roma del Reverendiſſimo Padre Generale, la quale differendoſi, come ella mi ſcriſſe, ſino alla primavera, ho in animo di far a lei trovare colà in quel tempo altro ſimile ſuffragio. L'eſſermi ſtata gettata, quaſi direi per la fineſtra, come le borſe di S. Nicolò, l'eredità del Fratello, mi fa conoſcere il buon uſo, che debbo farne.

AN-

ANGELO MARIAE QUIRINIO

S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO

D. FELIX MARIUS NERINIUS FELICITATEM.

POSTULABAT muneris mei ratio, ut in hoc ipſo Coenobio, ubi Sedes omnium noſtrum princeps collocata eſt, manerem uſque ad pridie Kalendas Octobris, qui dies eſt Divi Hieronymi memoriâ conſecratus; ab hoc enim Sanctiſſimo Viro, & Eccleſiae Doctore maximo nomen, & ſtirpem ipſam Familiae noſtrae repetimus; non illam quidem ita continuatam, atque teſtatam, ut ego vellem, propterea quod vetus eluvio barbararum nationum, quum & Italiae, & Monaſteriis qui-

quibuſque vaſtitatem intuliſſet, huic noſtrae gloriae magnas offudiſſe tenebras videtur. Hanc quaſi generis nobilitatem a primo ſuo auctore, ac Parente Benedicto repetitam, & nulla temporum, nulla hominum ſerie interrupta propagatam, uni fere ex omnibus Monachis habent, vere ut dicam, Benedictini, quorum hac noſtra aetate Tu es, PRINCEPS EMINENTISSIME, Decus atque Ornamentum maximum.

Simul ac igitur feſtum illum Anniverſarium Diem noſtris in Faſtis celeberrimum ſanctiſſimumque peregiſſem, ſtatim Romam cogitabam, quò me divina illa vox jamdiu invitaverat BENEDICTI XIV. P. O. M. qui mihi ſuis pedibus advoluto, & bonam abeundi veniam imploranti, quum leniter arridens benedixiſſet, *Abi*, inquit, *hìc Te Familiae tuae Abbatem generalem perbrevì expectamus*. Huc acceſſerant cohortationes tuae, quae admonebant, ut ne ceſſarem, ſed in Urbem convolarem, quo praeeſſem abſolvendae AEdificationi *Alexiani* Templi, quod erit, PRINCEPS EMINENTISSIME, divinae Beneficentiae erga nos, erga Romam ipſam tuae teſtimonium ſempiternum.

Sed ecce aliae Officii mei rationes, quas ſine quodam quaſi ſcelere negligere non poſſem,

jubent ut *Augustam Taurinorum* me conferam, cum ut controversias quasdam de Sacra AEde Parochiali *S. Mariae Clavatiae* in Vercellensi Dioecesi nostrorum hominum fidei & curae jamdiu commissa funditus tollerem, tum ut praesens ea Monasteria obirem, quae in florentissima SARDINIAE REGIS Ditione sunt.

Hîc peto abs Te P. E. ut si quid hac in Epistola mea offendas, quod propter tenuitatem rerum, non satis dignum cognitione tua videatur, id potius largiaris consuetudini scribendi nostrae, quam ut occupationes tuas maximas interpellare voluerim.

Hinc igitur octavo mensis Octobris die, *Paulo Malvicinio* nostrae Familiae Abbate Cancellario socio, & comite itineris mei discessi, & paucis vix elapsis horis in *Castellum* pervenimus, quod ab Azone Vicecomite *Castellazzo* nomen habet. Hoc mille passuum Mediolano abest, in eoque Monasterium situm est memoriae, & nomini S. Hieronymi dicatum; quod primus Mediolanensium Dux Joannes Galeatius nostris Hieronymianis committendum curavit, qui certe illud majorem in modum ornarunt, atque auxerunt. Ejusdem Monasterii Familiae, quae non infrequens est, *Abbas*

prae-

praeſidet *Exgeneralis*, uti vocant, *Auguſtinus* Mediolanenſis e nobili Familia *Marlianorum*, qui mihi advenienti officia humanitatis omnia praeſtitit, quae potuit.

Veni inde Mediolanum, exceptuſque fui perhumaniter in AEdibus *S. Damiani* ab *Abbate Paulo Alexandro Serpontio* Patritio Mediolanenſi, qui & ipſe jam Generalis noſtrae Familiae Abbas fuit, & noſtros illic ſumma cum prudentiae laude regit Monachos, qui neque pauci ſunt, neque in obeundis noſtrae diſciplinae muneribus indiligentes.

At Mediolani quidem nihil mihi antiquius fuit, quam ut ſumma dignitate, & ſapientia Virum CARDINALEM PUTEOBONELLUM ARCHIEPISCOPUM convenirem, qui eâ me benevolentiâ complexus eſt, ut nihil fieri poſſit humanius. Cave autem putes, in illa congreſſione noſtra ullum alium ſermonem ab eo mecum habitum fuiſſe, quam de Te. Ita multa mihi de magnitudine Animi tui, de Doctrina, de ſtudiis optimis, praeſertim vero de eximia liberalitate perjucunde narrabat, ut miraretur Te tot, tantiſque, & tam diſtractis ſumptibus unum poſſe ſatisfacere, quibus multi vix poſſent. Commemorabat enim, (nam nihil Tuarum rerum fugerat hominem Tui amantiſſimum) Bri-

xiana tua Opera (1) magni ſplendoris, & multae impenſae: Sacram AEdem (2) principem a ſolo exaedificatam: Epiſcopale Palatium: Collegium Eccleſiaſticum (3): Bibliothecam eleganter conſtructam (4), & Voluminum omnium pleniſſimam: Neque ſilebat quid Romae feciſſes, aut in noſtro *Alexiano* Templo, aut in iis vel *S. Gregorii*, vel *S. Marci*, vel *S. Praxedis* (5), ubi multa extant monumenta liberalitatis tuae, non ad exigui praedicationem temporis, ſed ad memoriam hominum ſempiternam. Divinae hujus tuae liberalitatis teſtem ajebat eſſe *Berolinum*, ubi novum illud Templum, quod Catholici exaedificarunt, Tuis eſt pulcherrimis ſtatuis ornatiſſimum (6): eſſe *Bavariam*, ubi decus Fani *Etalenſis*, quod eſt ſane ſanctum, atque apud eas Gentes religioſum, tuâ eſt non parvâ pecuniâ ſublevatum (7): eſſe *Salisburgum*, ubi ad Monaſtici Gymnaſii damna reſarcienda magnos ſumptus feciſti: eſſe *Gotthingam*, ubi magnum adjumentum attuliſti iis hominibus, qui propagandae ſanctiſſimae Religioni (8) in tantis ſuperſtitionis tenebris navant omnem operam, & laborem ſuum: eſſe denique in omni fere Europa neminem, quin ſibi perſuaſerit vel noſtris hiſce temporibus extitiſſe aliquem ex vetere illa

Di-

Disciplina Principum Ecclesiasticorum, unde eximia bene, & liberaliter collocandae pecuniae exempla peti possent. Habet, inquit, *Brixia*, habet *Roma* in QUIRINIO alterum CAROLUM BORROMEUM, cujus tantae virtutis quum praeclarus sit imitator (9), nemini mirum videri debet, si quod ego de Sanctissimi Viri religioso Sepulcro magnificentius exornando cogitaverim, ipse fere unus praestitit; atque ea ornamenta contulit, quae partim inchoata, partim perfecta esse non ignoras. Haec ille mecum, qui Tibi, PRINCEPS EMINENTISSIME, gratulor de Tuis hisce verissimis ac justissimis laudibus. Etsi enim CARDINALIS PUTEOBONELLUS singulari Te benevolentia prosequitur (quod ejus sermo declarabat), tamen intelligebam equidem, quicquid dicebat non tam amicitiae, quam liquido veritati dare. Vidi namque ego ipse Signa ex Argento duo jam palam collocata in religioso SANCTI CAROLI monumento; reliqua jam inchoata belle procedere, in quod opus multa millia unciarum argenti impendisti, in iisque eleganter atque affabre faciundis elucere industriam atque artificium praestantissimi Caelatoris *Antonii Petrae*. Octo autem esse voluisti ex argento optimo caelato, quae virginali habitu atque vestitu re-

referrent ſimulacra Virtutum, quae non tam animum ſanctiſſimi Praeſulis exornarunt, quam (vere ut dicam) Tuum (10). Sed vereor laudare praeſentem per litteras. Patere tamen, P. E., quod ſentio libere dicere: Hae tuae laudes, quae ſane maximae ſunt, non ſunt ullo modo cum ea conferendae, quam ex aedificatione Templi *Alexiani* es conſequutus, ſi temporis, ſi loci, ſi perſonarum, ſi finis ratio habeatur. Quae omnia attigi in ea Epiſtola (11), qua meum Librum de Templo, & Coenobio *SS. Bonifacii*, *&* *Alexii* ampliſſimo Tuo nomini inſcribendum, dicandumque curavi; eritque fortaſſe aliquod aliquando tempus, quo plus otii nactus, hunc intimum animi mei ſenſum explicem fuſius, atque ornatius. Quod ſi hac in re erro, libenter erro; neque unquam ego hunc mihi errorem extorqueri patiar.

Sed ut eò redeam, unde me non invitum tuarum laudum quaſi aeſtus abripuerat; Mediolano tum aberat Comes Pallavicinus (12), qui permultos ibi annos *Galliae Ciſalpinae*, quae in Auſtriorum Ditione eſt, admirabili quadam laude praeeſt. Sed illum jam ante conveneram: mihi ad illius cognitionem aditum ſatis illuſtrem aperuerat Senator Verrius (13) homo Tibi, Princeps Eminen-

TIS-

TISSIME, non ignotus ſummo genere, & pari pietate ac doctrina, plurimâque in tractandis rebus politicis induſtriâ praeditus. De PALLAVICINO autem ſic habeto: Virum eſſe animo excelſo, iiſque virtutibus, quae pertinent ad Rempublicam gerendam, ita ornato, ut in ejus dictis, factiſque ſingulis juſtitiam admirentur omnes, ingenium agnoſcant. Haec externa, & publica; neque non laudabilia interiora (ut ita dicam) ipſius, atque domeſtica, quae facile cognovi: Studium artium optimarum cum militari laude conjunctum, propenſionem in Litteratos ſingularem, facilitatem morum, ſuavitatem ſermonis, liberalitatem, plenam praeterea elegantiae, & dignitatis domum: Tum Bibliothecam optimis, & concinne diſpoſitis voluminibus refertam: Cui Bibliothecae praefectum voluit eſſe Abbatem *Quadrium* hominem certè eruditum, atque (ut ſcis) de Hiſtoria Poëtica optime meritum (14).

Mediolano igitur tertio Idus Octobris quum diſceſſiſſem, veni ad Monaſterium *S. Hieronymi* noſtrum, quod *Novaria* proxime abeſt: cui Monaſterio diligenter praeeſt *Abbas Hieronymus* ex nobili Novarienſi Familia *Morbia*; cujus Familiae nomen nobis quidem jucundum eſt, propterea quod illi

 ejuſ-

ejuſdem Monaſterii fundationem, aliaque permulta beneficia referimus accepta. *Novariam* adminiſtrabat MARCHIO SANCTAE JULIAE, Vir ſane ſummus, qui jam pro-Rege in Sardinia fuerat. Hic ubi accepit adveniſſe me, miſit, qui officioſe conſalutaret, miſit etiam munera ſatis large ad uſum domeſticum. Quare neceſſe mihi fuit illic morari poſtridie, ut convenirem Hominem in omni officio diligentiſſimum, eique, quas deberem, gratias agerem. Interim Urbem quum obirem natalibus celebrem *Petri* illius, qui propter ingenii acumen, varietatemque doctrinae *Magiſter* dicitur *Sententiarum*, Templum adii Gaudentio ſacrum, cujus in ſuperiore parte Sacellum eſt ample, magnificeque conſtructum, ubi GAUDENTII ipſius Corpus a longa vetuſtate incorruptum Sarcophago aſſervatur ex nitida chryſtallo argento illigata opere mirabili, omnibuſque proponitur ad colendum.

At Idibus Octobris *Vercellas* quum appropinquarem, obviam habui *Bertonium Abbatem* Canonicorum Lateranenſium *S. Andreae*, qui ſuo me curru exceptum ſatis officioſe coëgit, ut apud ſe diverterem in Monaſterio, quod haud ſcio an ſit omnium illius Urbis clariſſimum; Templum enim habet ornatiſſimum, uti architectonices ratio illa

fert,

fert, quam Gothicam appellant. Frons Templi marmorea, atque ad aſpectum praeclara: Portae amplae, plurimis ſuffultae columnis: Turres quatuor ſingulari altitudine non minus Templi, quam Urbis ornamento. Quae quidem Urbs quam munita olim fuerit, apparet etiam e ruinis moenium, quae belli furor initio hujus ſeculi proſtravit, atque dejecit. In qua praeterea Urbe amplum eſt Xenodochium, & Templum maximum magno Eusebio dicatum, qui fuit illius Urbis Epiſcopus ſanctitate conſpicuus. Templi autem aedificatio quadraginta innititur columnis, cui tamen multa adhuc deſunt ad ornatum, atque perfectionem. At in Sacrario multa eſt ad uſum ſupellex, multique pretii, atque artis: multae ſunt Reliquiae Sanctorum inſignes; ſed nihil fuit, quod ſtudioſius conſiderarem, quam Euangelii Codex celeberrimus (15) ipſius Euſebii manu exaratus, & laminis ex argento caelatis illigatus; quem Codicem Mediolani ante annos quinque multae homo eruditionis Canonicus Joannes Andreas *Iricus* evulgavit. Poſtridie ejus diei placuit eidem *Bertonio* Viro humaniſſimo mihi ſe comitem adjungere ad *Alicis* Vicum, qui millia paſſuum xv. Vercellis diſtat, nec procul abeſt a Pago *Cabaliaco*, ubi animi causâ ruſticabatur *Petrus*

trus Solarius Vercellensis Episcopus, saneque commodum accidit ut inviserem, atque illo adjutore uterer ad eas controversias sedandas, quas antea commemoravi; qui mihi quidem visus est Vir humanissimus, atque egregio erga nos animo affectus.

Decimo septimo Kalendas Novembris *Clavasium* Arcem non ignobilem praetervecti, *Duriamque* Flumen Ponte satis longo transgressi *Augustam* tandem *Taurinorum* pervenimus.

Urbem hanc non esse reliquis Italicis Urbibus dignitate, & splendore inferiorem, esse autem pulchritudine, & elegantia quadam sua superiorem saepe audiveram. Est profecto ut dicitur; nam & situ est propter Fluminum belle fluentium, atque Alpium longe assurgentium aspectum peramoeno, & aedificiis abundat publicis, & privatis, sacris, & profanis, quorum descriptione nihil fieri potest in eo genere perfectius. Amplas praeterea porticus habet, frequentissima fora, directas vias, quarum duae praestant sane ceteris. Una a Porta Nova (16) incipiens ad magnificentissimam usque Regiam explicatur. Altera a Porta Padana ad vetus Arcis Regiae aedificium. Utraque autem egregiis utrimque domibus continetur, quae nihil habent asperitatis in forma, nihil offensionis in ordine,

dine, adeo ut mirificam intuentibus praebeant ex aequabili aedificandi ratione voluptatem. Neque vero praetermittenda ſunt fora illa quatuor ampliſſima ad ſpeciem Urbis ornatiorem maxime accommodata. Quid enim eo nobilius, quod in aſpectu habet Regias aedes, & porticus, ubi Cohortes Praetorianorum excubant, ornatiſſimumque redditur illa marmorea domo, quam *Philippus Juvaria* inſignis noſtra aetate architectus a ſolo fecit graecis, romaniſque temporibus dignam? Quid illo altero excellentius, quod ab veteri Arce nomen accipit? Quid ornatius Foro Sancti Caroli, quod porticibus cinctum eſt, & ſplendidiſſimis domibus, quae item omnes aequabili ratione diſtributae, marmoreis columnis innituntur? Reliquum illud eſt ante Arcem munitiſſimam aëris laxitate, atque amplitudine omnium maximum, in quo multi arborum ordines, multaeque per ipſos ambulationes amoenae, ac aeſtivo maxime tempore gratiſſimae.

Templa vero quid referam, aut *Virginis Conſolatae*, aut *S. Laurentii* (17) aut *B. Amedei*, aut alia complura celeberrima ſane, & religioſa, quae is tantum non admiretur, quem nihil excelſum, magnificumque delectat! Unum commemorabo, quod maximum appellatur, *S. Joanni Baptiſtae* ſacrum; in

quo,

quo, ne omnia ſingillatim enarrem, Regium Sacellum illud *Sanctæ Syndonis* admirationem meam occupavit, atque exhauſit; eſt enim totum nigro e marmore conſtructum, vaſtiſque columnis exornatum eodem e marmore, & elegantiſſima teſtudine, in qua quidem exaedificanda ingenium atque ars enituit *Guarinii* Theatini, cujus eſt in architectonicis magnum nomen; ab hujus item ingenio, atque arte profecta eſt Theatinorum aedes Martyri *Laurentio* ſacra, ad quam diligenter conſiderandam comites ſe praebuerunt Praefectus illi Familiae, & ejus Frater *Cajetanus Davidius* ſingulari humanitate homines.

Ecce autem omnium artium, & diſciplinarum domicilium, quod Tibi doctiſſimo, atque eruditiſſimo PRINCIPI maxime dignum notatu videbitur. VICTORIS AMEDEI II. Regis liberalitate ad eam excrevit, quae maxima eſt, magnificentiam, & celebritatem nominis; Doctores enim multi, iidemque inſignes, & magna mercede conducti erudiunt adoleſcentes ad mille in omni genere diſciplinarum. At ubi fueris ingreſſus, oſtendit ſe ſtatim Atrium peramplum, cujus interiores parietes monumentis veſtiuntur veterum Graecorum, atque Romanorum, quae ſunt omnia apte adeo diſpoſita, ut *Capitolinum*, aut *Veronenſe* muſaeum vix

de-

desideres. Singula vero quid ego enumerem Tibi, quem nihil certe latet in omni antiquitate? praesertim quum fuerint a Marchione praestantissimo *Maffejo* jam evulgata (18), & praeterea eruditorum hominum *Rivautellae*, & *Ricolvii* (19) notis disputationibusque illustrata. Unum praeterire non possum, quod admiratione quadam praecipua defixum me detinuit. Opus est marmoreum ab insigni artifice diligentissime perfectum, atque adeo expressum ad naturae veritatem, ut intuenti mihi miserabilem in eo caedem sculptam suavissimi vatis Orphei (20) a Bacchantibus discerpti, sensum aliquem doloris extorserit. Inde Bibliothecam ingressus, omni genere librorum instructissimam, *Caracciolum* ibi offendi Placentinum, Abbas qui nuper fuit Generalis Canonicorum Lateranensium, mihi jam diu usu atque amicitia conjunctum, quo cum & librorum, & MSS. Codicum vetustatem, copiam, praestantiam inspexi, atque admiratus sum. Sed de his etiam nihil attinet dicere, quum Regiae Bibliothecae Praefectus *Josephus Pasinus* eruditissimus eorum indicem (21) accuratum ediderit in lucem, & locupletissime illustraverit.

In Regium deinde musaeum introductus, monumenta spectavi innumera ex aere, suo quaeque

loco

loco apte diſpoſita; magno ibi numero Hermetes, Idola, Toreumata, Fibulae, ſepulcrales Lucernae, Vaſa, Paterae, Litui atque alia hujuſmodi viſuntur ſingulari opera, artificioque perfecta. Vis praeterea infinita numiſmatum antiquiſſimorum ex auro, argento, atque aere, quae magnus ille Carolus Emmanuel I. ingenti impenſa quum coëmiſſet, & Româ uſque exportari curaſſet, non tam artificio formarum delectant, quam cognitione veteris Hiſtoriae, & deſcriptione temporum erudiunt. Nihil autem ſtudioſius tunc quidem viſendum putavi, quam Tripodem illum, Tabulamque ex aere non ita pridem erutam ad Padum ſexdecim millia paſſuum longe ab Auguſta Taurinorum, inſcriptamque GENIO. ET. HONORI. L. POMPEI. L. F. &c. INDVSTRIENSIVM. PATRONO. (22)

Haec enim inſcriptio ſatis commonſtrare videtur locum, ubi antiquiſſimum illud *Induſtriae* Oppidum fuit, quod meminit Plinius (23), cujus ignorationem loci arbitror fuiſſe Geographis cauſam erroris, ut illud cum Caſalenſi Urbe confunderent; de Tripode autem hoc non dubito dicere, vix aliud ſimile antiquitatis monumentum, atque ita ab injuria defenſum temporis, aliis in Italiae mu-

musaeis vidisse; est enim ex aere tam miro artificio, ut etiam qui rudes harum rerum sunt, facile intelligere possint, scite factum, & venuste. Tres illum parvulae componunt columnae ex aere, aptae inter se se, atque connexae, quas aenei quidem a superiore parte nodi, ab infima annuli ita colligant, atque devinciunt, ut & intercludi, & explicari facile possit. Plurimum in eo sigillorum, plurimum operis. Altitudine est palmorum quatuor, latitudine pedis unius.

Jam vero non minus sum speciem Urbis admiratus, quam hominum expertus humanitatem. Etsi enim Autumni tempore Principes Civitatis bene multi aberant, inque his Amplissimus CARDINALIS DE LANCEIS, qui ad *S. Justi* Abbatiam suam diverterat; tamen eorum, qui in Urbe remanserant, neminem non conveni. In primis autem *Archiepiscopum Athenarum Ludovicum Merlinium* Oratorem Pontificium, qui multis erga me benevolentiae signis non obscuris veterem, quae mihi Romae cum eo multos ante annos fuerat, familiaritatem renovavit, fuitque sane mihi permagnae voluptati videre hominem in tanta dignitate, quam pulcherrime sustinet, nostrae veteris consuetudinis non immemorem. Deinde *Archiepiscopum Augustae Tauri-*

no-

norum (24), quem Virum graviſſimum, humaniſſimumque cognovi. Tum *Comitem a S. Laurentio* Praefectum intimis Regis Conſiliis, qui me de Sodalitatis noſtrae rebus diſſerentem perbenigne audivit, & ſingulari in eo beneficio affecit, quod aditum ad Regem quam facillimum pollicitus, adeſſe juſſit ad *Villam Venaticam* poſtero die.

Venatica Villa eſt Regis admodum magnifica, ab Auguſta Taurinorum longe millia paſſuum III. ad quam via ducit ſatis lata, & domibus utrinque egregiis, eâdemque omnibus formâ elegantiſſime exornata. Nihil alibi videas magnificentius, nihil venuſtius, ſive proſpectus amoenitatem, ſive portarum, atriorumque amplitudinem, ſive Regii Templi molem, ſive aedium ſubſtructionem, ſive lautam, vereque regiam ſupellectilem, ſive hortorum delicias, ſive ambulationum hilaritatem ſpectes. Theatrum denique, labirinthum, citriarium ſane magnificum, & equorum nobiliſſimos greges. Quae omnia adeo me ceperunt, ut ſuperbas in eo genere veterum Romanorum Villas, de quibus tam multa Hiſtoriae commemorant, minus admirarer. Ipſo in ingreſſu obviam habui *Equitem Capranicum* Romanum, ſummae virum nobilitatis, & Regis Familiarem, qui me quum Regiam Vil-

lam

lam obirem, omni eſt humanitatis officio proſequutus. Introductus ad Regem, qui cum una erat Filius ejus *Benedictus Mauritius Dux Cablaſienſis* ſuaviſſimus, & magnae ſpei adoleſcens, commemorare vix poſſum, quanto me venerationis, & voluptatis quodam ſenſu affecerit aſpectus illius, quem domi, quem foris, quem bello, quem pace, ſingulari virtute, praeſtantiſſimo conſilio acceperam. Qui fuit illius congreſſus! quae dignitas! quae comitate condita gravitas! quae ſapientia! Multus de Roma, multus de Gallia Ciſalpina, quam ille totam victoriis ſuis peragraverat, multus etiam de me, & de Sodalitatis meae rebus ſermo fuit; mihi liberam Monaſteria quatuor (25), quae in ipſius Ditione ſunt, viſitandi poteſtatem dedit; mihi ſuam pollicitus eſt auctoritatem in iis, quae ad muneris mei rationes pertinerent; me denique ita eſt allocutus, ut pietas, & clementia illius non obſcure ſignificaretur.

Majorem autem natu Filium ejus *Sabaudiae Ducem* ſat laudaverim, ſi Patris quam ſimillimum dixero; in quo & virtutem eamdem, & eamdem erga me clementiam agnovi. Nam quis Regias *Virgines*, formâ, & modeſtiâ inſignes, quis lectiſſimam Sabaudiae Ducis *Conjugem* ſatis pro dignitate lau-

dare poſſit! Quum ego multa huic de auguſtis ipſius Fratribus expoſuiſſem, de *Carolo* Neapolitano Rege, quem praeſens *Neapoli* colueram, de *Philippo* Infante Hiſpaniarum, quem nobiliſſimum Hoſpitem (26) noſtro hoc in *Hoſpitaleti* Coenobio exceperam, viſa eſt oratio ipſi admodum jucunda, & permulta ejuſdem erga me clementiae ſigna ſunt conſecuta. Denique hoc Tibi, PRINCEPS EMINENTISSIME, teſtari poſſum, mihi quum Regis ipſius, Regiaeque Familiae virtutem, probitatem, beneficentiam, domus item, villae, atque Urbis magnificentiam, ordinem, elegantiam admirarer, ſimile quiddam veniſſe in mentem, atque illud, quod de Cyro narratur; ad eum enim quum Sardis veniſſet Lacedaemonius ille Lyſander (27), atque eſſet hortum Cyri ipſius manu conſitum, purpurae nitorem, deſcriptionem domus contemplatus, *recte*, inquit, *beatum te*, *Cyre*, *praedicant*, *in quo virtus cum fortuna conjungitur*. Item ego non poteram non beatiſſimum exiſtimare REGEM, cui Liberi eſſent praeclara indole, fortunarumque ad omnem uſum affluentia, domi dignitas, foris auctoritas, praeſertim vero virtus, unde omne praeſidium petitur ad vitae, atque Imperii felicitatem.

Habes, PRINCEPS EMINENTISSIME, explicatam

ra-

rationem omnem ſuſcepti itineris mei ad SARDINIAE REGEM. Quid autem cauſae fuerit, quamobrem Auguſtae Taurinorum verſatus ſim ad VIII. Idus Novembris, hoc eſt diutius, quam animo deſtinaveram, altera Tibi breviore epiſtola exponam. Vale.

Hoſpitaleti III. Nonas Januarii
An. MDCCLIII.

N O T AE.

(1) Brixiana Quirinii Cardinalis opera numiſmatibus octo eleganter expreſſa refert Tabula, quam *Brixianus Philopatris* adjecit Italicis verſionibus Epiſtolae *Fabii Devoti*, quamque aeri inciſam Antiſtiti ſuo Brixienſes obtulerunt hac Epigraphe:

ANTISTITI SUO
POST LONGAM ROMAE COMMORATIONEM
FELICITER REDUCI
PLAUDENS BRIXIANA CIVITAS
NOVUM HOC OFFERT
AMORIS SUI MONUMENTUM
ANNO EPISCOPATUS EJUS XXIIII.

(2) *Sacram aedem principem a ſolo exaedificatam*) Cujus rei, memoriaeque publicae retinendae cauſa, Septemviri Brixiae ſacrarum aedium curatores beneficentiſſimo Principi monumentum ex marmore poſuerunt cum luculentiſſima inſcriptione, quae eſt hujuſmodi:

ANGELO MARIAE QUIRINIO
S. R. E. CARDINALI BIBLIOTHECARIO
BRIXIAE EPISCOPO
QUOD
PRAECLARO HUIC TEMPLO PERFICIENDO
AB ANNO CIↃIↃCV. AEDIFICARI COEPTO
CURAM OMNEM IMPENDENS
PROPRIO AERE LARGE COLLATO
ILLUD ARA MAXIMA
ET SPLENDIDIS ALIIS ORNAMENTIS
MUNIFICENTISSIME DECORAVERIT
DIVINOQUE CULTUI APTUM
EX INSPERATO REDDIDERIT
SEPTEM-VIRI BRIXIAE
AEDIUMQUE SACRARUM CURATORES
GRATI ANIMI MONUMENTUM
ADHUC VIVENTI
P. P.
ANNO DOMINI CIↃIↃCCXXXVII.

Numiſma item maximi moduli in ejus honorem cudendum curarunt, in cujus area Brixianum Templum, in averſa vero parte legitur:

MUNI-

MUNIFICENTIAM
ANTISTITIS SUI
QUA EX INSPERATO
CATHEDRALIS AEDES
CULTUI DIVINO
APTA REDDITA EST
PLURIBUS JAM
MONUMENTIS
CELEBRAVIT
LAUTIUSQUE CONCELEBRAT
BRIXIA GRATA
ANNO JUBIL. MDCCL.

(3) *Collegium Ecclesiasticum*) Hujus ortographiam exhibet numisma alterum, cujus haec est Epigraphe:

PRO
DIGNOSCENDA
VOCATIONE
ORDINANDORUM
BRIXIAE ERECTUM
A FUNDAMENTIS
COLLEGIUM
PLAUDENTE
CLERO ET POPULO
UNIVERSO
ANNO JUBILEI
MDCCL.

(4) *Bibliothecam eleganter constructam*) Quirinianae Bibliothecae conspectum refert numisma tertium sic inscriptum:

BIBLIOTHECAE
A SE ERECTAE
DOTATAEQUE
COMMODO URB. BRIX.
PRIMARIO HUJUS
MAGISTRATUI
POSSESSIONEM
CONTRADIDIT
ANNO JUBIL.
MDCCL.

(5) *Vel S. Marci, vel S. Praxedis*) Quatuor Romanas Basilicas ab Eminentissimo Cardinali Quirinio vel exaedificatas, vel instauratas, vel or-

ornatas repraeſentat tabula altera poſt Epiſtolam *Fabii Devoti* Brixianae editionis, de qua not. (5) Eas autem Clariſſimus Oltrochius e Sodalitate Oblatorum SS. Ambroſii, & Caroli, Bibliothecae Ambroſianae Pro-Praefectus his verſibus complexus eſt:

Huic Roma debet, quod recenti
Luce nitet melior, Quirino.
Teſtor ſuperſtes nomen Alexii,
Teſtor ſuperba hexaſtyla, & ardui
Colles Aventini coactos
Inſolito micuiſſe luxu:
Et vos ſilentis culmina Coelii,
Et reſtituti ſana Gregorii,
AEvique contra vindicatae
Invidiam, rabidoſque morſus
Praxedis AEdes: ſplendida bracteis
Marci Ara, ſuffultumque lacunar, &
Commiſſa in aetatem perennem
Pontificum monumenta ſignis &c.

(6) *Pulcherrimis Statuis ornatiſſimum*) Statuis ſcilicet Beatae Mariae Magdalenae, ac Domini Noſtri Jeſu Chriſti eidem poſt reſurrectionem ſuam olitoris in ſpeciem apparentis e candido marmore miro artificio elaboratis, quarum Imagines refert Tabula III. poſt Epiſtolam *Fabii Devoti*. In ſumma autem ejus Tabulae parte legitur:

DONARIUM MARMOREUM
ORNANDAE ARAE
BEROLINENSIS CATHOLICORUM TEMPLI
VENETIIS TRANSMISSUM.

(7) *Tua eſt non parva pecunia ſublevatum*) Ut fidem facit in eadem Tabula III. inſcriptio ſub Quiriniano numiſmate, quae eſt hujuſmodi:

COENOBIIS
ETALENSI WESSOFONTANO
CAMPIDONENSI
PIE BENEFICUM
SE PRAEBUIT
DUM AD ILLA PERTRANSIIT.

(8) *Propagandae Sanctiſſimae Religioni*) In altera namque ejuſdem Tabulae III. inſcriptione legitur:

SUSTENTANDIS
SACRIS MISSIONIBUS
IN DITIONE RAETICA

HA-

HANOVERANA POMERANA
ET SALISBURGENSI
MUNIFICE
OPES IMPENDIT.

In quorum memoriam beneficiorum *Weſſofontana* Familia munificentiſſimo Principi hoc monumentum poſuit:

EVERGETAE MUNIFICENTISSIMO
DE ORDINE SANCTI BENEDICTI
ET CONGREGATIONE BAVARICA
QUAM PERTRANSIENS BENEFACIENDO
ABSENS TUENDO ET COMMENDANDO
AETERNUM SIBI DEVINXIT
IMMORTALITER MERITO
GRATI ANIMI MONUMENTUM STATUUNT
BEDA ABBAS WESSOFONTANUS PRAESES
ET CONGREGATIO UNIVERSA
MDCCLI.

Liceat etiam addere, Sodalitatem in Weſſofontano Templo inſtitutam ſub auſpiciis Deiparae ſine labe conceptae, & Sancti Monachorum Patris Benedicti, jam pridem Cardinalem Quirinium ſibi in Patronum delegiſſe; qui ut libenti excepit animo Sodalium horumce electionem, & praeclarum exiſtimationis teſtimonium, ita & peculiaris benevolentiae, ac liberalitatis pignora eorumdem Sacello tranſmiſit; lampadem nempe magni ponderis ex argento caelatam, ut ante Iconem Matris Dei penderet; & lapſo nuper Januario ſignum pariter argenteum miſit, S. Benedicti faciem repraeſentans. Haec omnia dilucidius apparebunt ex Epiſtola, quam in Appendice integram recitabo.

(9) *Quum praeclarus ſit imitator*) Imitator ſane ac maximus admirator veneratorque, ut habetur ex altero numiſmate *Norimbergae* noviſſime cuſo, cujus haec eſt Epigraphe:

VIRTUTUM
QUARUM ODORE
BRIXIANAM DIOECESIM
S. CAROLUS BORROMEUS
VISITATORIS APOSTOLICI
MUNERE FUNGENS REPLEVIT
MAXIMUS ADMIRATOR
VENERATORQUE
A. M. CARD. QUIRINIUS BRIX. EP.
OCTO ARGENTEA SIGNA

EARUNDEM SYMBOLA
AD ORNANDUM DIVI ILLIUS SACELLUM
AERE SUO CONFLARI
CURAVIT.

(10) *Non tam animum Sanctissimi Praesulis exornarunt, quam vere ut dicam tuum.*) Ut jam cecinit *Jo. Baptista Branca* Congregationis SS. Ambrosii, & Caroli Sacerdos in Hendecasyllabo, cujus initium est:

Divorum atque hominum decus QUIRINE
Quidquid maximus omnium mereris
Modestissimus omnium recusas &c.

In eo enim Poëta commemorans argentea signa, quae Cardinalis Quirinius in Mediolanensi Sancti Caroli Sacello collocanda curavit, inquit:

Quae ita pulcre, & eleganter,
Nil ut pulcrius, elegantiusque,
Ornant undique CAROLI *Parentis*
Sepulcrum exuviis sacris venustum
.... *Haec quidem dicata*
Tuo munere CAROLI *feruntur*
Laudes exprimere: at tuas, tuasque
Virtutes referunt simul QUIRINE,
Ac tanto referunt magis QUIRINE,
Illi munere quod tuo dicata.
Nos quidem nimis, ac nimis beati,
Apud quos Statuae tibi perennes
Quo nolles magis hoc magis sacrantur!
I nunc, & Statuam, ut lubet, recusa
Divorum, atque hominum decus QUIRINE.

(11) Epistola scilicet nuncupatoria ad *Angelum Mar. Quirinium* S. R. E. Cardinalem praefixa libro, cui titulus: *D. Felicis Nerinii Abbatis Hieronymiani de Templo, & Coenobio SS. Bonifacii, & Alexii Historica monumenta*. Romae MDCCLII. ex Typographia Apollinea.

(12) Comes *Joannes Lucas Pallavicinus*, qui Mediolani pro-Rege est ab intimis Status Consiliis, atque a cubiculo Austriorum Principum; Mediolanensi arci Praefectus, Peditum cohortis Tribunus, & Austriae Insubriae Imperator multis nominibus celeberrimus.

(13) *Senator Verrius*) Comes *Gabriel Verrius* Mediolanensis Patritius S. M. Ordinis S. Stephani Commendatarius Eques, olim Regius per Austriam Insubriam Fisci Patronus, nunc Patriae Urbis Senator, & in Supremo Vindobonensi Consilio pro rebus Italicis moderandis Regens, cujus est in Republica Litteraria magnum nomen, cum ob praeclara ejusdem

opera

opera in lucem edita, tum praesertim ob aureum librum *de ortu, & progressu Juris Mediolanensis antiqui, & novi*, qui constitutiones complectitur Dominii Mediolanensis, Decretis, & Insubrium Senatus Consultis illustratas, Mediolani MDCCXLVII.

(14) *Optimè meritum*) Celeberrimus Abbas Franciscus Xaverius Quadrius haud modicam apud Eruditos Viros laudem promeruit ob praeclara Volumina septem, summo labore, ac eruditione maxima elucubrata, quae titulum praeferunt: *Della Storia, e della Ragione di ogni Poesia*. Tomus I. lucem vidit Bononiae anno MDCCXXXIX., ceteri Mediolani, quorum postremus, Indicem Operis universi complectens, & quamplures Additiones, e Mediolanensi praelo Agnelliano prodiit anno praeterito. Nuper quoque Clarissimus hic Scriptor publici juris iterum fecit typis Josephi Marelli Opuscula Metrica *Dantis Aligherii*, perpetuis Adnotationibus, iisque eruditissimis, illustrata.

(15) *Codex celeberrimus Euangeliorum*) Magni Eusebii Martyris, & Vercellensis Episcopi manu conscriptus, atque a Berengario Rege argenteis laminis coopertus inter insignia Sanctorum Lipsana in Sacrario Basilicae Vercellensis haereditario quodam jure servatur, & colitur. Illum Vir clarissimus *Joseph Blanchinus* jam pridem publica luce donare meditabatur, jamque litterarum, quibus exaratus est, atque laminarum, quibus contegitur, formas aeri incisas publicavit in opere, quod inscribitur: *Vindiciae sacrarum scripturarum &c.* at ante illum ivit eruditissimus *Joannes Andreas Iricus* Ambrosianae Bibliothecae, & Collegii Doctor, amicus noster, qui exoptatum jamdiu vetustissimum hunc Eusebianum Euangeliorum Codicem primus emisit in manus hominum, & praefatione, notis, atque concordantibus aliorum Codicum, & SS. PP. lectionibus auctum, & illustratum Mediolanensibus typis edidit hoc titulo: *Sacrosanctus Euangeliorum Codex S. Eusebii Magni Episcopi, & Martyris manu exaratus ex autographo Basilicae Vercellensis &c.* Mediolani MDCCXLVIII.

(16) *Porta Nova*) Nam Urbis illius omnino Portae sunt quatuor: *Palatina*, qua Vercellas itur, atque Mediolanum: *Segusiana* Ripulas: *Padana* Cherium: *Nova* Pinarolium. Haec postrema *Novae* nomen retinuisse videtur a temporibus usque Caroli Emmanuelis I. Sabaudiae Ducis, qui Pomoerium Urbis augens, illam magnifice construendam, aperiendamque curavit, ut ex affixa inscriptione habetur:

CAROLO EMMANUELI SAB. DUCI
QUOD LIBERTATE ARMIS VINDICATA
PACE BELLO PARTA SECURITATE PUB.
VICTORIS AMEDEI, ET CHRISTINAE
CHRISTIANISS. CONJUGIO FIRMATA

IN

IN EORUM ADVENTU
NOVAM URBEM INSTITUERIT, ET
ANTIQUAM ILLUSTRAVERIT
S. P. Q. T. AN. MDCXX.

(17) *S. Laurentii* Templum ad artis ſtuporem *Guarinio* Architecto extructum, VICTORIS AMEDEI I. Sabaudiae Ducis liberalitati ſuos quaſi natales debet, ut ex ea inſcriptione intelligitur, quam primario lapidi ſculptam eſſe mihi perhumaniter jamdiu ſignificaverat vir doctrina, & eruditione celeberrimus *P. Michael Caſati* Mediolanenſis Ord. Cleric. Regul. in Regio Taurinenſi Archigymnaſio publicus Theologiae profeſſor; eſt autem ea, quae conſequitur:

D. O. M.
AC SANCTISSIMAE DEIPARAE AD PRAESEPE
TEMPLUM
BEATO MARTYRI LAURENTIO EX SERENISS. EMMANUELIS
PHIL. VOTO
OB PARTAM VICTORIAM JAM DICATO
HAEREDITARIA PIETATE, AMPLIORE MAGNIFICENTIA
PUBLICAE COMMODITATI INVICTISSIMUS
VICTORIUS AMEDEUS
HIC RESTITUIT
ANNUENTIBUS REGIA CHRISTINA
ET PRINCIPE MAURITIO CARDINALI
IN CLERICORUM REGULARIUM SORTEM
ANNO MDCXXXIV. DIE SEXTA JUNII.

(18) *A Maffejo jam evulgata*) Vide *Muſeum Veronenſe*, ſive antiquarum Inſcriptionum, veterumque Anaglyphorum in Regiae Academiae porticibus circumquaque infixam collectionem, quam Vir clariſſimus *Scipio Maffejus* edidit, atque adjecit Muſeo Veronenſi an. MDCCXLIX.

(19) *Ricolvii*) Eruditiſsimi enim homines *Antonius Rivautella*, & *Jo. Paulus Ricolvi* marmora Taurinenſia diſſertationibus, & notis illuſtrata evulgarunt, quorum pars prima prodiit in lucem Auguſtae Taurinorum ann. MDCCXLIII. pars altera MDCCXLVII.

(20) *Vatis Orphei*) Notiſsima eſt fabula de Orpheo, qui poſt raptam ſibi Eurydicen, quum coelebs eſſe ſtatuiſſet, Thraciaſque mulieres de nuptiis ſolicitantes recuſaſset, miſere ab iis inter Orgya Bacchi diſcerptus eſt. Unde Virgilius Georgic. l. IV.

Inter Sacra Deûm, nocturnique Orgya Bacchi
Diſcerptum latos juvenem ſparſere per agros &c.

Vide etiam Ovidium Metamorphoſeon lib. XI. fab. I.

(21)

(21) *Indicem*) Nam duobus magnificentissimis voluminibus collectus jam prodiit ex Typographia Regia Taurini an. MDCCXLIX. Cathalogus ejusdem Bibliothecae Codices manuscriptos bis mille, & amplius continens: Hebraeos scilicet 169. Graecos 369. Latinos 1184. Italicos 210. Gallicos 172. quos omnes per Linguas digestos, & binas in partes distributos, recensuerunt, & animadversionibus illustrarunt Viri clarissimi *Josephus Pasinus* Bibliothecae Praeses, *Antonius Rivautella*, & *Franciscus Berta* ejusdem Bibliothecae Custodes.

(22) *Industriensium Patrono*) Integram Inscriptionem videsis apud Maffejum in Musei Taurinensis appendice. At de situ Oppidi *Industriae* legesis italicam disputationem *Rivautellae*, & *Ricolvii*, quam tamen nimium festinanter excusam ipsi ingenue confitentur in Epistola ad Lectorem, praefixa part. II. marmorum Taurinensium, quae prodiit an. MDCCXLVII.

(33) *Meminit Plinius* lib. III. cap. V., & XVI.

(24) *Archiepiscopum Augustae Taurinorum*) Joannem Baptistam Rotarium Astensem.

(25) *Monasteria quatuor*) Scilicet I. *Sancti Hieronymi* prope Novariam; II. *Sanctae Mariae Assumptae de Caramania*; III. *Sancti Hieronymi* prope Bugellam; IV. *SS. Gervasii, & Protasii Montisbelli* in Transpadana Regione, cui postremo Coenobio maxima cum prudentiae laude praeest Reverendissimus P. Abbas D. *Ludovicus Sartirana* Patricius Mediolanensis Supremus olim Familiae Hieronymianae Moderator.

(26) *Nobilissimum Hospitem*) Post Placentinam pugnam, quae facta est ad XVI. Kal. Quintiles, quum Hispanorum Gallorumque copiae Padum transjectae intra Lambrum Adduamque omnes constitissent, Philippus Hispaniarum Infans, & qui cum eo erat Franciscus III. Mutinensium Dux ad Hospitaletum progressi eo in Coenobio Nobilissimi Hospites excepti sunt, ibique diversati a die XXVI. Julii usque ad diem XXVIII. Augusti MDCCXLVI.

(27) *Lacedaemonius ille Lysander*) de quo vid. M. T. Ciceronis *Cato Major* seu *de Senectute* cap. XVII. pag. 360. Editionis Venetae MDCCXLVII. recensione *Facciolati*.

AN-

ANGELO MARIAE QUIRINIO

S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO

D. FELIX MARIUS NERINIUS FELICITATEM.

URBIS *Augustae Taurinorum* species, atque elegantia: hominum erga hospites singularis humanitas: Aulae Regiae splendor, Regisque prope inaudita comitas, atque affabilitas: tum demum Sodalitatis meae rationes nondum explicatae, in caussa fuerunt, PRINCEPS EMINENTISSIME, quamobrem induxerim animum diutius illic commorari, quam constitueram. Ergo scias velim, illis ipsis diebus, Templa ferme omnia obiisse me, quae vel in Urbe, vel extra Urbem sunt, inque his

Tem-

Templum magnificum ſane atque religioſum, quod Virgini Dei Matri in Monte *Superga* (1) aedificandum curavit VICTORIUS AMEDEUS Sardiniae Rex; cujus Templi amplitudo, elegantia, dignitas me quoque mirum in modum delectavit, me inquam, non oblitum Templorum magnificentiâ Romanorum. Illud ex deſcriptione factum eſt *Philippi Juvarae* Architecti, magni quidem ingenii, magnique nominis; quam vero ob cauſſam, facile intellexi ex inſcriptione, quae in ipſa Templi fronte poſita, hujuſmodi eſt:

VIRGINI GENITRICI
VICTORIUS AMEDEUS SARDINIAE REX
BELLO GALLICO VOVIT
ET PULSIS HOSTIBUS FECIT,
DEDICAVITQUE.

Obivi etiam praeter *Venaticam* illam, quam ſuperioribus litteris (2) Tibi, PRINCEPS EMINENTISSIME, ſignificavi, Regias Villas (3) omnes, quae Taurinorum Urbem, pulcherrimâ ad aſpectum quaſi coronâ praecingere videntur. Primum eam, quae a *Regina* nomen habet, & in formam hemicycli poſita eſt, ubi amoeniſſimus Collis molliter ad Padum uſque deſcendit, quaeque perbelle exaedificata eſt a Chriſtina Henrici IV. Galliarum Regis Fi-

Filia, & Victorii Amedei I. Sabaudiensis XII. Ducis Conjuge. Mox *Valentinum* visendum existimavi, deinde *Milleflorum*, & quod tria millia passuum abest, *Stupinisium*. Hoc Carolus Emmanuel Rex, qui tanto suorum Populorum bono vivit, faciendum curavit: Nihil eo videas sive ad habitandum elegantius, sive ad venandum cervos, qui plurimi iis in nemoribus aluntur, commodius; Juvarae, modo quem nominavi, ingenium, & ars, ea in exaedificatione Villae perspici maxime potest. Illic obviam habui *Sabaudiae Ducem* magno animo, magnaque spe Principem, qui eò forte se ad venandum contulerat; quique me humanissime alloquutus est, jussitque Comitem *Provanam*, maximae virum nobilitatis, reliqua omnia mihi ostendere, quae illic visenda erant; praesertim vero & Equorum, & venaticorum Canum stabula vere ampla, atque regia.

Tum demum ad *Montem Callerium* veni, studioseque perspexi in aedibus illis regiis formas, atque imagines Sabaudiensium Principum, quae animum ab illa pictura ad recordandam illustrem, ac felicem tantae Familiae propagationem traduxerunt. Illic quum caelo frui liceat puro atque tranquillo, versabantur Sabaudiae Ducis regii Liberi, quorum

rum educationi praeeſt nobilis Matrona *Ogliania* - quam ego huic pulcherrimae curae intentam viſitavi in eodem ipſo Conclavi, ubi e vita exceſſit VICTORIUS AMEDEUS II. poſtquam Regno ſe abdicaverat, magni conſilii REX, & majoris, ſi meliorem quidem exitum habuiſſet.

A *Monte Callerio Carinianum* veni, inde *Caramaniam* (quae viginti millia paſſuum ab Auguſta Taurinorum abeſt), ibique, uti mei muneris ratio poſtulabat, Templum, atque Monaſterium noſtrum luſtravi, quod in Commendam, quam vocant, traditum eſt Viro ampliſſimo Abbati *Caſſinio*. Opportune accidit, ut is abeſſet, nam perhumaniter illius in aedes receptus ſum; noſter enim Abbas *Coſimus Monſortius* Mediolanenſis, homo ſane frugi ac diligens, ejuſque Monachi ad octo, anguſtius illic habitant, quam exiſtimari poteſt. Tum enim vero, PRINCEPS EMINENTISSIME, deſideravi liberalitatem Tuam, & non ſemel quidem cum ipſis Monachis hunc ego ſermonem uſurpabam: Quam melius & vobiſcum ageretur, Filii, ſi hoc Coenobium QUIRINII mei, vel noſtri potius fidei, ac pietati commendatum foret, & nobiſcum etiam, qui tercentum quotannis philippeos nummos, ſubſidii cauſſa, mittere ad vos cogimur, praeter ea, quae extra or-

di-

dinem ſubminiſtrantur; quo de infortunio quum ego diligenter egiſſem cum Rege, tam benigne illum erga nos affectum vidi, ut cogitationem ſuſcepturum ſe diceret, daturumque operam ne anguſte ſemper Monachi illi noſtri & habitarent, & viverent. Utinam Regiae benignitatis curſum nulla quidem retardet res!

A *Caramania*, ubi pulcherrimam Marchionum *Careſſii* Domum, amplumque Viridarium non ſine delectatione perluſtravi, *Sinfredum* veni, quod in Ditione eſt Marchionum *Cadrallienſium*, quorum humanitas, comitas, liberalitas nunquam profecto mihi memoriâ excidet; inde *Racconiſium*, ubi aedes Principis *Cariniani*, atque Horti ſane magnifici.

Denique *Auguſtam Taurinorum* pridie Kalend. Novembris reverſus, eo ipſo die vidi anniverſarium celebrari funus VICTORIO AMEDEO II. magno REGI. Sacrum ab Archiepiſcopo peractum eſt: adfuerunt Equites Sanctiſſimae Virginis *Annunciatae*, qui eſt Coetus omnium Nobiliſſimus, Principes Civitatis, & Duces, Praefectique Copiarum, quae hominum frequentia augebat ſpeciem, ac dignitatem funeris.

In ea Italiae Civitate, Italiae inquam, nam ſunt quos aut Italos eſſe pudeat, in quo miror hominum ſua nimis contemnentium faſtidium, aut

Ita-

Italiae tantum decus atque ornamentum invidere, in quo desidero prudentiam: In ea igitur Civitate, quae haud scio, an omnium elegantissima sit, libentissime fui aliquot, ante ut dixi, dies, & ea, quae ad visendum erant, pulcherrima conspexi omnia.

Primum vidi equidem Regias aedes magnificentissimas, quas ut studiosius observarem, mihi se socium praebuit Comes *Grosso Caballius*, qui iisdem aedibus praeest, magnae vir humanitatis, magnaeque eruditionis. Est in aditu ipsarum aedium conspicienda insignis ex aere Statua formam referens Victoris Amedei I. Equo marmoreo albo insidentis, cujus in basi hoc incisum Epigramma legitur:

D. VICTORIS. AMEDEI.
BELLICAM. FORTITUDINEM
ATQUE. INFLEXUM. JUSTITIAE
RIGOREM
METALLO. EXPRESSUM. VIDES
TOTUM. ANIMUM. VIDERES
SI. VELOX. INGENIUM
FLEXILEMQUE. CLEMENTIAM
EXPRIMERE. METALLUM. POSSET.

Noli autem, Princeps Eminentissime, arbitrari velle me, aut omnino posse interiores aedium

Regiarum partes deſcribere, ſupellectilem, quae multa eſt, lauta, pretioſa, Tabulas ſive *Raphaëlis Urbinatis*, ſive excellentiſſimorum Pictorum admodum raras, atque illuſtres, aliaque plurima Auguſtae Domus ornamenta; id enim non Epiſtolae brevitatem, ſed quaſi voluminis amplitudinem deſiderat. Nolo ea tamen praeterire, quae me in primis delectarunt, hoc eſt Tabularium potuiſſe inviſere, & Regiam Bibliothecam, cui praeeſt Abbas *Vaſellius*, multae eruditionis homo, multaeque comitatis. In eo *Pyrrhi Ligorii* Patricii Neapolitani MS. Codices vidi triginta, quibus graecae, ac romanae antiquitates continentur, quos Codices Carolus Emmanuel *Primus* immortalis memoriae Princeps, ob ſummam erga Litteras voluntatem, duo de viginti Ducatorum millibus comparavit; Tum Miſſale antiquiſſimum, quo in Sacro peragendo uſus eſt Felix ille V., qui Pontificatu, quem ſibi Patres Baſileenſes nimis cupide demandaverant, ſponte ſe abdicavit ad pacem Eccleſiae reſtituendam.

Vidi praeterea Armamentarium cum ingenti apparatu machinarum, ac tormentorum, nec non omnis generis enſium miſſilium, atque telorum, unde facile triginta millibus hominum arma ſup-

pe-

peditari possunt. Denique vidi arcem Italicarum omnium munitissimam, quam quidem principio hujusce Seculi Galli, magni illi Arcium expugnatores, oppugnare quidem, at expugnare nunquam potuerunt. Arx est opere extructa excellenti, pentagoni formam refert, quinque propugnaculis, totidemque interpositis lunatis munitionibus instructissima, fossa, valloque circumdata, subterraneis etiam quampluribus cuniculis non deficientibus: Habet singulari artificio puteum, quo aquatum ire poterant Equi scalis per gyrum duabus, & altera quidem ascensum, altera descensum praebebat facilem atque percommodum.

Haec, inquam, omnia moram Taurinensem meam mirifice delectarunt; at duo fuerunt, quae ut illic non libenter solum, sed ut gaudenti etiam animo commorarer effecerunt, quaeque paulo diligentius exponam.

In ea Civitate, ubi publicum, & fama doctrinae celeberrimum Gymnasium est (4), haberi solet oratio mense Novembri, qua Juvenes, qui sane plurimi illuc studiorum caussa confluxerunt, commonentur, atque excitantur ad eadem studia alacriore quodam animo amplectenda. Huic ego orationi, quam *de doctrina Platonis* habuit eloquentissimus

ſimus Hyacinthus *Gerdilius*, interſui, PRINCEPS EMINENTISSIME: ſedebat certo loco Excellentiſſimus Rei Litterariae Magiſtratus, cui praeerat Comes *Caiſotus*, homo ſi quis alius doctus, prudens, humaniſſimus, & in Republica gerenda exercitatiſſimus; ſedebant circum Doctores (5) ſuo quiſque loco, ut aut doctrinae, aut officii, aut aetatis gradu antecedebant. Multa erat Juvenum frequentia; ſed quod me mirifice commovit, id ſane fuit, quod ex oculis, ex inceſſu, ex ſermonibus eorum Juvenum facile intellexi, eo in publico Gymnaſio raram illam eſſe maximeque exoptandam ſocietatem pietatis atque doctrinae. Te hujuſce rei diſceptatorem atque aeſtimatorem volo, PRINCEPS EMINENTISSIME, cujus mihi ſenſus non ignoti ſunt, quique ea, quae ſentis, praeſtas omnium maxime. Intelligis enim in Eccleſia pietatem abſque doctrina non magnopere utilem eſſe; at ſine pietate doctrinam plerumque etiam obeſſe. Parco exemplis ut in re nimis clara. Quamobrem dici vix poteſt quantum animo affectus fuerim, quum Auguſtae Taurinorum litteras cum religione conjunctas eſſe apertiſſime cognovi. Quod quidem acceptum referri debet Religioni Auguſti Principis, qui in eam curam diligentiſſime incumbit. Utinam hanc doctrinae, & religionis pulcherri-

rimam conjunctionem in omnibus Christianae Reipublicae Gymnasiis aliquando conglutinatam videamus!

Venio ad suavissimum congressum, quem habui cum Rege Kalendis Novembris, qui dies mihi sane jucundissimus fuit. Nam iterum admissus ad Regem, ei librum meum (6) obtuli, qui tibi est inscriptus, & imaginem ipsam tuam primo oculis legentium exhibet. Quid censes Princeps Eminentissime? ubi eam vidit, atque ex me audivit, quam multa Tibi nos, & Roma ipsa deberet ob antiquissimi, ac religiosissimi Alexiani Templi exaedificationem, quam de tuo fieri curasti: Hic est, inquit, vere Cardinalis, & Cardinalium omnium exemplum atque ornamentum. Neque verò non haec verba tulit maxima admiratione rerum, quas & gessisti, & scripsisti, & quarum omnium conscius erat Rex. Habes, Quirine Cardinalis, virtutis tuae amplissimum atque illustre testimonium, quod unum instar millium esse & potest, & debet. Quanquam id & conscientia ipsa tuorum factorum, & omnium praesentium aspectu, ac memoria teste commendatur; tu enim verè es, „uno ore cui plurimae con„sentiunt gentes, *Populi primarium fuisse Virum*. Hoc de Atilio Calatino dictum (7) quam apte ad Te ip-

ſum transferri poſſit, nemo non intelligit; nam quamdiu Religioni, Liberalitati, Doctrinae ſtabit honos, qui erit utique ſempiternus, tamdiu vives ipſe CARDINALIS EMINENTISSIME in omnium mentibus, atque ſermonibus, tamdiu homines tui memoriam ſumma cum tua gloria retinebunt, eruntque permulti multis in terris, ubi tuarum virtutum extant veſtigia, ſemper qui te dicent a perenni, conteſtataque virtute Majorum tuorum non degeneraſſe: Te optimum Epiſcopum, optimum Cardinalem fuiſſe, conſilio, ingenio, animi magnitudine, ſupra omnes noſtri aevi homines excelluiſſe, nihil Te ſacrarum, nihil humanarum litterarum latuiſſe, Te doctiſſimum, Te humaniſſimum, Te ſanctiſſimum fuiſſe: incredibili continentia, innocentia, religione, pietate, fide, conſtantia praeditum: humanitate, gravitate, prudentia, ſapientia praeſtantem: denique liberalitate, ac munificentia tanta fuiſſe, ut nihil habere Te, niſi quod a Te haberent homines, nulla re frui, niſi qua ceteri a Te donati fruerentur, exiſtimares. Haec, inquam, omnia poſteri homines, qui memoriâ repetent, nos felices arbitrabuntur, quibus tuarum virtutum tam excellenti bono frui licuit. Vereor Tecum per epiſtolam colloquens,

quaſi

quasi praesentem laudare; sed quamcumque veluti aberrationem mea quaerat oratio, nescio tamen quomodo, redit semper ad laudes Tuas. Quamquam attestatio tanti Regis, cujus mihi nomen gravissimum sanctissimumque est, id facit, ut aliquibus videri minimi debeat plus in Tuis laudibus, amori erga Te meo, quam veritati, ac meritis tribuisse. Sed de his hactenus.

Ergo quum ad Sardiniae Regem, atque ad Sabaudiae Ducem Filium non semel admissus fuissem, multa mecum de tanta Principum benevolentia, & Civium humanitate cogitans Augusta Taurinorum octavo Idus Novembris discedo, & per Oppidum *Clavasium* remeans venio ad Vicum *Alicis*, ubi rursus ab optimo Viro Eusebio *Bertonio* Abbate Lateranensi satis liberali hospitio acceptus sum. Postridie *Bugellam* (8) versus iter instituo, eamque Urbem mille passus longe praetervectus ad nostrum *S. Hieronymi* Monasterium pervenio, quod in altiore, atque aspero monte positum, satis aptum videtur esse iis, qui ex hac hominum frequentia in solitudinem se se conferunt, & Monasticam vitam vivunt. Illinc ad Parochialem Ecclesiam *S. Mariae in Clavatia* visitandam ex more veni, quae ad radices montis posita, nostra est, a nostrisque ante habitaba-

tur, quam novum illud Monasterium in excelsitate montis aedificatum fuisset; atque ibi magnae mihi voluptati fuit, omnem aliquando controversiam sedatam esse, quae mihi itineris caussa fuit.

Quinto Idus Novembris *Oropaeos* tandem montes superare coepi, via satis longa, octo ferme passuum millia, eademque lata, injectâque glareâ optime munita, atque adeo perfacili, & commoda illac euntibus, qui magno semper numero sunt propter Loci religionem; in summo enim montium vertice aequata est agri planicies, ex qua Templum magnificum assurgit marmoribus ornatum, & porticibus undique cinctum. Templo adjacent Sacella undẹ viginti ad Loci prospectum apte, ornateque disposita. AEdes praeterea sunt Sacerdotibus triginta attributae, qui Sacris ibi assidue operantur; multa etiam hospitia, quae peregre advenientibus patent. In Templo autem Sacellum est, rustice quidem constructum, quod operis vetustatem ostendit, idque manu ipsa Sancti Eusebii Vercellensis Episcopi factum esse, ajunt, quum minas, terroresque Arianorum fugeret. Colitur ibi Virginis Simulacrum (9) summa, atque antiquissima religione praeditum, quod ferunt artificio esse perfectum Lucae Euangelistae. Collucet late Simulacrum gem-

meis

meis ornamentis, & aureis argenteiſque Lampadibus; quae multa ibi multi congeſſerunt privati, opulenti, & Principes praeſertim Allobroges, qui Sanctiſſimum Simulacrum ſic ornarunt, ut Templi religio, & pietatis ſuae nomen poſtulabat. Sed loci vetuſtiſſimam religionem nihil tam diſerte demonſtrat, quam Pontificis CLEMENTIS VIII. Diploma (10), quod mihi a Templi Sacerdote quodam traditum exſcripſi, & huic Epiſtolae quaſi appendicem adjiciam.

At quum *Oropaeis* e montibus deſcendiſſem, *Vercellas* iterum veni, atque inde *Novariam* ad Hieronymianum Coenobium noſtrum, eoque pro mei officii ratione viſitato, honoris cauſſa *Julianenſem* Marchionem Urbis Praefectum iterum conveni, a quo ſane ſum perhumaniter acceptus. *Novariae* quum eſſem, redditae mihi ſunt litterae Tuae, PRINCEPS EMINENTISSIME, in quibus primum illud amavi, quod Tua, ut ſoles, erant manu perſcriptae; deinde Poëticum (11) munus, carmen videlicet, quod *Horatius Landinius* de Sepulchro Iſaaci Newtonii elucubravit, & Comiti *Algarotio* REGIS *Boruſſiae* Familiari, & amico noſtro inſcripſit. Carmen vero illud peringenioſum (12) quum legerem, atque amicis communicarem, quantus fuit de eruditione

tua

tua ſingulari ſermo, quanta admiratio! Qui enim ſacrarum Litterarum peritiſſimus es, ne profanarum quidem ſtudium negligis, illudque ita tenes, ut minima etiam illius eruditionis pars latêre Te non potuerit. Nam quum *Nevvtonius* doctiſſimus ceteroquin vir, & mathematicorum noſtrae aetatis facile Princeps, in Chronologia ſua veterum Regnorum inventam eſſe dixiſſet *Sphaeram Armillarem*, uti vocant, ab Nauſicaae Alcinoi Filia, Tu primus, PRINCEPS EMINENTISSIME, tanti Viri erratum (13) animadvertiſti, & Filiam illam Alcinoi non Aſtronomicae, ſed ludicrae Sphaerae inventricem fuiſſe, ſatis liquido, & ſcienter luculentis Homeri, Euſtathii, & Svidae teſtimoniis allatis in libro (14) demonſtraſti, quem de *Corcyrae primordiis* eruditiſſime conſcripſiſti. Ex eodem carmine facile fuit intelligere, quanta tu, CARDINALIS AMPLISSIME, in admiratione eſſes apud REGEM *Boruſſiae*, quem elegantis ingenii Vir *Volterrius* Salomonem Septemtrionis appellât (15). Magnificum Tibi, nobis certe jucundum, atque inſigne fuit tanti REGIS de Te judicium accipere, qui utinam gloriam facinorum ſuorum illuſtrium cumulet ea laude, quam quicumque optime ſentit, illi optat, amplectendae veriſſimae Religionis!

No-

Novaria profectus *Mediolanum* recta contendi, statimque Eminentissimum Archiepiscopum, sicuti jusseras, conveni, ab eoque de Statuis octo argenteis certior sum factus, quae aere tuo ad SANCTI CAROLI Sepulcrum poni debent: Duae autem positae jam sunt, ut superioribus litteris (16) scripsi, duae perfectae: reliquae inchoatae, nihil tam urgere videntur, quam ut tuam CAROLO quidem venerationem, omnibus autem liberalitatem probent. Quamquam cuinam mortalium aut illaudatae sunt, aut incognitae virtutes tuae eximiae, atque singulares?

XII. tandem Kal. Decembris Mediolano ad Monasterium hocce meum Laudense profectus sum, neque hîc diu commoratus *Placentiam* veni, atque ad Coenobium accessi nostrum, quod a *Sancto Sabino* nominatur: Abbatem *Theodosium Veggium* Monasterio illi Praefectum obvium habui, maximae prudentiae Virum, maximaeque eruditionis, & pietatis, qui universae nostrae Sodalitati Praefectus ante me fuit, meque humanissime excepit. Multas illic chartas conspexi perveteres in Tabulario nostro latentes, & Diplomata Pontificum antiquissima, quae omnia recognoscere in animo est; ad Monasticam enim Historiam omnem illustrandam, atque ipsius Sabini Pla-

cen-

centini Episcopi res gestas explicandas pertinent.

Placentia tandem aliquando ad Monasterium reverti meum, ubi duas eodem tempore litteras abs Te accepi, quarum alterae (17) tertio Kalendas, alterae tertio nonas Decembres (18) datae erant, quae mihi & voluptati fuerunt, & dolori. Philopatris (19) enim Brixiani bellissimi elegi delectarunt mirum in modum, quibus is Monachi *Jordani* ad Ecclesiam reditum, tuumque in eam rem & studium, & beneficentiam commemorat; perculit autem animum audita Fratris tui mors, de qua alia mea in epistola ad Te scripsi, neque attinet manus iterum afferre dolori Tuo. Gratulabor potius, quod Pastorem illum euangelicum vere imitatus, nulli rei peperceris, non consilio, non pecuniae, non auctoritati, quomodo errantem ad Ecclesiam ovem reduceres.

Neque ita multo post librum accepi (20) ex Epistolis Apostoli *Zenii* excerptum, in quo nihil tam vehementer mihi placuit, quam laudes multae, atque verissimae, quae tum a Zenio ipso, tum a *Muratorio* (at a quibus viris: Bone Deus! certe quorum testimonium est ad instar laudis sempiterne!) propter scriptorum tuorum doctrinam & copiam, merito Tibi tribuuntur. Quod

au-

autem mihi arrifit in primis, caput illud (21) Epiftolae Vulterrianae fuit, in qua de Monacho Jordano idem Tibi *Vulterrius* gratulatur; eft enim ita fcriptum, ut nihil fieri poffit ad hominis ingenium elegantius, neque ad laudem Tuam illuftrius. Optat praeterea, ut aliquando conjunctim prodeant fcripta omnia, & facta tua praeclariffima in publicam lucem; quod quidem faciendum *Rizzardus* Brixianus recepit.

Habes, PRINCEPS EMINENTISSIME, explicatam rationem omnem profectionis Taurinenfis, ac reverfionis meae. Reliquum eft, ut quando jam *Romam*, tuis ut mandatis obtemperem, iterum fum profecturus, hanc ipfam profectionem meam benevolentia tua profequare, abfentiam memoria colas, omne defiderium litteris dandis, accipiendifque lenias. Tu velim in primis, EMINENTISSIME PRINCEPS, Tua in me, & Sodalitatem meam beneficia multum recordere, & prae magnitudine animi tui etiam augeas. Quae quidem beneficia quum tibi liceat, mihi nefas fit oblivifci, non modo gratum me virum exiftimabis, verum etiam non poffe Tu a me non coli plurimum intelliges. Vale.

Dabam Hofpitaleti IV. Kal. Februarii MDCCLIII.

NO-

N O T AE.

(1) Mons *Superga* ab Augusta Taurinorum v. millia passuum circiter abest trans Padum.

(2) *Superioribus litteris*) Vide Epistolàm II. pag. XXXII.

(3) *Regias hasce Villas*) poëticè descripsit *Camillus Maria Audibertus* Societatis Jesu in libro, cui titulus: *Regiaè Villae poëtice descriptae &c. Augustae Taurinorum* MDCCXI. *ex Typographia Pauli Mariae Duti*.

(4) *Gymnasium*) De quo legesis quae superiore Epistola scripsit Auctor pag. XXVIII.

(5) *Doctores;*) Quorum Elenchum habebis infra in Appendice.

(6) *Librum meum:*) Auctoris scilicet librum inscriptum: *D. Felicis Marii Nerinii Abbatis Hieronymiani de Templo, & Coenobio Sanctorum Bonifacii, & Alexii Historica monumenta. Romae* MDCCLI. *ex Typographia Apollinea*.

(7) Vide Marci Tullii Cicer. *Cato major* pag. m. 362. editionis Venetae Faciolati anni MDCCXLVII.

(8) *Bugella*) Urbs Agri Vercellensis, in qua supremum diem obiit anno MDCLXVIII. Franciscus II. Mutinae Dux virtute militari celebris.

(9) *Virginis Simulacrum*) De hoc Simulacro legendus liber inscriptus: *Historia della Madonna Santissima d' Oropa, stampata in Biella per Gio. Giacomo de Giulii ann.* MDCLXXXIV.

(10) *Clementis* VIII. *Diploma*) Hoc ex integro recusum habebis in Appendice, quemadmodum Nerinius ipse pollicitus est in sua Epistola.

(11) *Poëticum munus*) Auctori enim dono miserat Eminentissimus Quirinus librum, qui inscribitur: *Il Sepolcro d' Isacco Newton. Poema di Orazio Arrighi Landini all' Illustrissimo Signor Francesco Algarotti Cavaliere dell' Ordine del Merito, e Ciambellano di Sua Maestà Prussiana. In Brescia* MDCCLII. *dalle Stampe di Gio. Maria Rizzardi*. Hunc ego Clariss. Virum, Algarotium dico, adhuc juvenem, sed omnigena eruditione jam tum optime praeditum, Mediolani novi, & colui XX. ferme annis ante, neque illius aestimationem ulla unquam delevit oblivio.

(12) *Peringeniosum:*) Ingeniosi Carminis specimen ut lectoribus exhibeam, satis erit hic afferre, quae de Cardinali Quirinio concinit Landinius, Algarotium sic alloquens:

Ah se sapessi
Ov' io sono, e qual ombra eccelsa, e grande

Veg-

Veggon questi la luce, assai più chiari
A Te sarebber, mel prometto, e forse
N' andria superbo il grand' Isacco *stesso.*
Di Brescia *i' sono in le superbe mura,*
E all' immortal Quirino, *all'* Uom, *che fatto*
E' onor dell' Ostro, *e dell'* Italia *il pregio,*
D' appresso i' son. Della Virtù Sostegno,
Padre *dell' Arti, e* Mecenate *a i studi,*
Me risveglia a un desio, che forse ardito
Troppo sembrava il mio destin presente;
Ma quel Sembiante *augusto, e quel, che in volto*
Aureo Lume *gli splende, il mio si tragge*
Spirto, che fa del suo Piacer *il mio.*
Ch' Ei t' amasse, Algarotti, *e che a* Te *fosse*
L' Uom Divino *sì caro, io non stupia.*
Ha la Virtude *un sconosciuto laccio,*
Che scambievol si rende, e che ravvolge
I suoi fidi Seguaci, e gli costringe
A un sempre vivo, e sempre puro affetto.
Ma, oh qual nuovo contento ampio, e stupendo
Mi scese in l' Alma, *e qual godetti allora,*
Che 'l Porporato Eroe *gli alti m' espresse*
Teneri Forte, *e* Rispettosi *sensi,*
Che per l' Inclito tuo Monarca *ha in seno!*
Poscia vid' io da Regia Man *vergati*
Fogli di Cedro *oh quanto degni, e d' oro!*
Ivi il Saper *del gran* Quirin *s' innalza,*
Il suo Candor, Magnificenza, *e* Zelo,
E s' afferma, che fanno a tanti Pregi
Fede *l'* Opre *assai più, che le* Parole;
Talche ammirando in quelle Note *espresso*
Il bell' Attico *Spirto, ed il* Latino,
Un non so qual fuoco novello io sento
Destarsi in sen, che il primo me cambiando,
Di nuova speme, e nuovo ardir m' accende.
T' invidio allora, o gran Volter *la* Cetra,
Che puoi sovente secondar de' fatti
D' un Re *possente, e che a ragion chiamasti*
Ne' Regni *Artoi un* Salomon *novello,*
Ed allor che su quelle regie carte

Por-

Porger lo vedi ORO, *ed* INCENSO, *e* MIRRA,
Nulla minor de' TRE *gran* RE *lo festi:*
Quella CETRA *medesma, ond' alta gloria*
A' GALLICI COTURNI *arrechi, e doni,*
E che talor, dalla tua man toccata,
Il nome rissonar fa del QUIRINO.
Sveglia alfin, VATE *grande, il tuo coraggio,*
Ed al MELLA *fecondo il piè rivolgi,*
Nè dubitar: Lo SPIRTO TUO, *che addesso*
„ *Colla febbre garrisce, o con* GALENO,
S' accenderà di nuovo: Aura, che avviva,
Spira da questi Colli, e se VOLTERRE
Vivendo della SPRE' *su l' alme sponde*
Vien rauco, e perde il canto, e la favella;
Su le di BRENNO *illustri spiagge amiche*
Può trovar nuovo stile, e nuovi versi.
Brami veder QUIRINO? *Ei la vivace*
Instancabil SUA *mente a* TE *prepara,*
E sotto l' alta maestà dell' OSTRO
Un CUOR *vedrai, che alteramente è bello.*
Forse muover TU *puoi quell'* ALMA *eccelsa*
L' OPRE *sparse a raccor, qual tu lo brami.*
Dici tu pur che cogli esempi EI *sprona,*
Co' precetti ammaestra, e sempre è raro
Ciò, ch' EI *parla, e che pensa. Il* FRANCO VATE
Tu disponi ALGAROTTI *al gran cammino &c.*

(13) *Erratum*) Id facile auctor intellexit ne dum ex illis Landinii carminibus

Lungo studio distinse, e i varj cerchj
Di tal Sfera compose, e la superba
Macchina non scoprì, qual fu creduto
La Figlia d' Alcinoo d' Argo a' Nocchieri.

sed potissimum ex annotatiuncula hisce carminibus ipsis subjecta, quae haec est: *Abbaglio assai notabile fu preso da Isacco Newton allorchè nella sua Opera:* LA CHRONOLOGIE DES ANCIENS ROYAUMES CORRIGE`E, *attribuisce a Nausicaa figliuola di Alcinoo, e di Areta Re di Corcira l' invenzione della sfera Armillare o Tecnica. Scoprì quest' abbaglio il Signor Cardinale Quirini nel suo Libro Primordia Corcyrae dell' edizione di Brescia ann.* MDCCXXXVIII. *ove co i Testimonj d' Omero, d' Eustatio Scoliasta, di Ateneo, di Svida, e di Virgilio ancora, prova evi-*

evidentemente, che Nausicaa non di quella Sfera, ma della ludrica, cioè della palla da gioco, fu l'inventrice.

(14) *In libro* superius memorato, cujus Titulus *Primordia Corcyrae* cap. XVI. pag. 127. prae aliis ita scribit Quirinius: „ Apertissima „ Homeri, ejusque Scholiastae, nec non Athenaei, aliorumque vete- „ rum Scriptorum testimonia, haud quaquam comperta habens Isaa- „ cus Newtonus, fœde hallucinatus est in adscribenda technicae pro „ repraesentandis Caeli motibus Spherae inventione Nausicaae, eam ve- „ rosimillimum putans ab Argonautis, dum in Corcyra morarentur, „ accepisse Nausicaam ..... Nausicaa inventria proditur Sphaerae lu- „ dicrae, qua, regiam illam Puellam ex Homero admodum valuisse, „ mirum pariter est Newtonum ignorasse &c.

(15) *Salomonem Septentrionis appellat*) in Litteris scilicet ad Quirinium Cardinalem datis Postdami XXIX. Septembris MDCCLII. in quibus sic legitur: *Che dirà l'Eminenza Vostra, quando Ella riceverà questa Pistola, dopo aver letto quella del* SALOMONE *del Settentrione? Dirà, che si degna di aggradire il tributo d'un Pastore, quando Ella ha ricevuto l'Oro, l'Incenso, e la Mirra d'un, che vale li tre Re dell' Epifania ... Oh quando vedrò io qualche valente librajo raccogliere tutte le Opere di Vostra Eminenza già troppo sparse!*

Foliis tantum ne carmina manda,

Ma siano tutti i suoi scritti radunati ad aeternam memoriam.

(16) *Superioribus litteris*) nempe Epistola II. superiùs impressa.

(17) *Quarum alterae* III. *Kalendas Decembres* ab Eminentissimo Quirinio ad Nerinium datae prae aliis haec habent: *Un mio trionfo viene a lei rappresentato nella qui annessa stampa, mentre certamente la riduzione del Monaco Giordano al suo Chiostro, previa l'abdicazione della Cattedra pubblica posseduta in Helmstad, non può attribuirsi, che a un vero miracolo della mano Divina, valutasi d'un così debole strumento, come son io. Vedrà nella stessa stampa stringersi da me sempre più coll' argomentazione ad hominem l'altro miserabile Apostata, della salute del quale non voglio disperare &c.*

(18) *Alterae* III. *Nonas Decembres*, quibus Cardinalis auctori nunciaverat amantissimi Fratris sui mortem, ut jam diximus in adnotationibus ad Epistolam primam not. I.

(19) *Philopatris*) Prioribus enim in literis Quirinius Cardinalis auctori dono miserat, uti & mihi, *Philopatridos Brixiani ad AEmilianum Jordanum Ord. S. Benedicti abdicata Cathedra Helmstadiensi ad Monasterium Huisbergense proficiscentem elegia, quae incipit: Pone metum &c.* Integram dabo in Appendice.

(20) *Librum accepi*, cujus titulus: *Estratti di diverse lettere di Apostolo Zeno, per Gian Maria Rizzardi stampatore in Brescia.*

(21) *Caput illud Epistolae*, quam Vulterrius ad Quirinium Cardinalem dedit Postami die II. Novembris MDCCLII. hujusmodi est: *L' Eminenza Vostra adorna la dottrina col fregio dell' ingegno, rinforza l' ingegno col zelo, e compisce il zelo colla munificenza. Ella edifica di una mano una Chiesa in Berlino, e coll' altra slega dal giogo Eretico un valente Monaco, rimanda all' ovile la smarrita pecorella; in somma la sua liberal mano diffonde altrettanto di danaro, quanto d' inchiostro, ed ammaestra i dotti, e sollieva i poveri ec.*

APPENDIX.

Mirabilis Deus in Sanctis suis.

EPISTOLA

AMPL.MI ET REV.MI ABBATIS WESSOFONTANI AC TOTIUS CONGR. BENEDICTINO-BAVARICAE PRAESIDIS GENERALIS

AD EMINENTISSIMUM ET REVERENDISSIMUM D. D. ANGELUM MARIAM QUIRINUM

S. R. E. CARD. BIBLIOTHECARIUM ET EPISC. BRIXIAE.

Eminentissime Pater, Domine Clementissime.

ALlata est in tempore, omnique possibili solemnitate ad Fontes Wessonis excepta pretiosa, & elegantissima Statua Sanctiss. P. N. BENEDICTI, una cum acclusis. Reddo totam seriem. Clementissima Epistola, quae continebat authenticam attestationem S. Reliquiae Sancti BENEDICTI, duabus septimanis prius allata miram in me, meisque sollicitudinem, ac desiderium acuit recipiendi in tempore tam nobile munus, praesertim post dictam attestationem jussu meo publice supra mensam lectam, quae sollicitudo mire aucta est, dum XV. Martii nec dum comparuit Monachii. Tandem XVII. ejusdem, tempore vespertino nunciatum Monachio, advenisse ibi salvam. Quare missi illuc cum curru rem ita solerter disposuerunt, ut eadem Statua, horis diurnis nocturnisque junctis, in vigilia Sanctiss. Patris circa horam secundam pomeridianam jam advenerit Wessofonti, ubi extracta est arcula, & ferculo jam praeparato superimposita inte-

rim collocabatur in ingressu portae claustralis, seu in ambitu Abbatiae, donec solemnis Processio adornaretur. Instituebatur haec circa horam quartam, dum Statua ferculo imposita a quatuor Sacerdotibus Religiosis in flocis sub pulsu solemni campanarum, & continua explosione aeneorum nostrorum tormentorum, sereno, & favente Caelo, deportata est a porta Conventus per atrium apertum a Ministris, toto Conventu in flocis, Sodalibus Confraternitatum in togis comitantibus: dum interim Sclopetarii nostri cum Venatoribus tumultuarie collecti se se concinno ordine in area Monasterii collocantes, transeunte Processione aliquoties suas Sclopetas in signum laetitiae simul solverunt. Dum ventum est ad Ecclesiam, Statua in media ara S. BENEDICTI, jam decentissime in crastinum ornata, collocata est, & solemnes Lytaniae de SS. Patre BENEDICTO, more hac die consueto, decantatae sunt ibidem, praesente copioso populo in honorem Sancti BENEDICTI congregato. In ipso Festo SS. Patris a summo mane usque ad XII. non solum una Missa post aliam, sed etiam solemnis Missa SS. Rosarii dicta, quod sub ea a conferto populo, exposito Venerabili SACRAMENTO palam recitari solet, a P. Veremundo Praeside; & post Concionem (quam quidam R. P. Carmelita Schongavio invitatus cum justissimis elogiis EMINENTIAE SUAE munificentiae habuit) solemne Officium cum secundis Vesperis a me in Pontificalibus decantatum est in eadem Ara a latere, seu Capella S. BENEDICTI, subsistente ibidem continuo Statua cum S. Reliquia, quae ita adaptata est Arae, & spatio illius medio, quasi mox a prima constructione id factum fuisset. Aderant de more in Monasterio ad hanc Festivitatem Religiosi diversorum Ordinum ex sex vicinis Monasteriis: qui omnes nobiscum vehementissime admirati, & venerati sunt, inprimis pretiosam, & insignem particulam Brachii SS. Patriarchae nostri BENEDICTI, thesaurum incomparabilem: deinde pretium, & elegantiam ipsius Statuae: quae omnia nos in hodiernum diem suspensos, attonitos tenent, quin capiamus, unde tanta EMINENTIAE SUAE in immeritos Wessonis Fontes munificentia, &

pro-

profusae gratiae in bino nimis pretioso munere, Lampade, & Statua, abundantissime monstratae. Non possumus sane vel cogitare de condigna gratiarum actione, sed solum Deum, omnium bonorum retributorem, precibus, & Sacrificiis exorare, ut de thesauro gratiarum, & donorum suorum in tempore, & aeternitate suppleat insufficientiam nostram.

Magnitudo beneficii clarescit magis ex casu sequente, quo SS. P. Benedictus fortitudinem sancti sui Brachii super nos ostendit, dum sacra Reliquia vix hic possessionem nacta est. Dum in ipsa solemnitate in Monasterio solemnia Divina agebantur, circa horam septimam matutinam in quadam Villa nostra bene ampla, integra hora a Monasterio distante, remotaque ab aliis domibus, & hominibus, incendium periculosissimum, furno (nescitur quomodo) ignem concipiente, & ignitas flammas super tecta lignea evomente, exortum est, dum omnes Villani Wessofonti Divinis aderant, ob ferias per Ditionem nostram servari solitas, praeter tres personas, quarum una ad Monasterium, altera ad proximum pagum, suppetias petitum dimissae, & missae sunt, unico famulo incendium spectante potiusquam sopire praevalente: quod ultra horam sese in tantum continuit, ut nullum notabile damnum intulerit, licet ex correpto jam tectorio ligneo ardentes scandulae in aream horrei foeno, & stramine plenam deciderint, eousque innoxiae, donec ex Monasterio, & aliis locis suppetiae advenerint, totumque periculosissimum incendium potius divina, quam humana ope extinctum fuerit sine gravi damno: quod nemo non pro miraculo habet, & potentissimae protectioni SS. P. Benedicti, hujusque sacro Brachio supra nos extento adscribit. Ego interim istorum omnium ignarus quietus steti ad Aram, donec mensam accedenti, & periculi, & miraculi relatio facta sit. Fuisset damnum multorum millium florenorum. Deo, & SS. Patri Benedicto sint infinitae laudes, & gratiae.

Magnanimitatis, & munificentiae Eminentiae Suae testes perpetuo erunt Congregatio Bavarica, cujus juribus tuen-

dis in Romana Curia benigniſſime laboravit, Univerſitas Salisburgenſis cum Miſſionibus Alpinis Ordini noſtro commiſſis, quibus ſuſtentandis intra breve tempus ſeptingentos & quadraginta florenos contribuit, & ſingulariter Monaſterium hoc Weſſofontanum cum Confraternitate Mariana Immaculatae Virginis, & Sancti Patris BENEDICTI. Ejuſdem Confraternitatis Te vere Protectorem (quem titulum in Te ſuſcipere dignatus es poſt obitum Cardinalis Petri Ottoboni) conteſtantur magnificentiſſima Lampas argentea ante Aram Beatae Virginis appenſa, & Statua S. BENEDICTI paris magnificentiae nuperrime huc advecta. Pater Veremundus Eiſvogel Confraternitatis utriuſque Praeſes in eam ſpem adducitur, ut ad imminentem Millenarii Weſſofontani ſeculi glorioſam Feſtivitatem Clementiſſimum, ac Eminentiſſimum D. D. PROTECTOREM certe praeſentem veneremur. Sunt haec vota omnium Conventualium ardentiſſima, quae Deus confirmet potenti gratia. Invitatio ſatis emphatica ſequetur, cum tempus fuerit deſignatum tantae Solemnitati perbene congruum. EMINENTISSIME PATER! recordamur adhuc illorum verborum, quibus in ultimo diſceſſu a Weſſofonto nos omnes conſolabatur cum dicto, & annutu clementiſsimo, *Breſcia non adeo diſtat Weſſofonto, forte nos Deus iterum conjunget*. Haec dictante caelo! Jam ſpe optima fretus, cum propediem Sanctum Paſcha immineat, precor EMINENTIAE SUAE laetum Alleluja, & plena gaudia paſchalia, & cum devotiſsimo Sacrae Purpurae oſculo me, meumque Monaſterium, totamque Congregationem Bavaricam clementiſsimae Protectioni demiſsiſsime commendo.

EMINENTIAE SUAE

Weſſofonti die XXIV. Martii anno MDCCLIII.

Humillimus, & obſequentiſſimus Servus
BEDA Abbas.

AN-

ANGELUS MARIA Divina Miseratione Tituli S. Praxedis CARDINALIS QUIRINUS Commendatarius Tit. S. Marci, S. R. E. Bibliothecarius, Archiepiscopus, Episcopus Brixiae, Dux, Marchio, Comes &c.

UNiversis, & singulis praesentes Nostras inspecturis fidem facimus, atque testamur, quatenus Particulam ex BRACHIO S. BENEDICTI *Abb. Monachorum Patriarchae asservato in Arca existente retro Altare Capellae SS. Crucis hujus Ecclesiae Nostrae Cathedralis extractam, ac dissectam praesentibus Septemviris Publicis hujus Illustrissimae Civitatis, una cum D. Pro-Vicario Nostro Generali, ac Cancellario Nostro infrascripto, reverenter reposuimus, & collocavimus intus thecam argenteam ovalis figurae ab anteriori parte crystallo clausam, & funiculo serico a posteriori parte rubri coloris colligata, Nostroque in cera rubra hispanica impresso sigillo pro majori dictae S. Reliquiae identitate obsignatam, ad majorem Dei gloriam, suorumque Sanctorum venerationem, dono dedimus, & elargiti fuimus Ven. Sodalitio Conceptionis Immaculatae Mariae Virginis, & ejusdem S. Benedicti, erecto in Ecclesia Abbatiae Wessofontanae Monachorum Benedictinorum Congregationis Bavaricae, cum facultate penes se retinendi, & in eadem, seu alia qualibet Ecclesia, Oratorio, seu Capella publicae Chistifidelium venerationi exponendi. In quorum fidem has testimoniales litteras manu Nostra subscriptas, Nostroque Sigillo munitas expediri mandavimus.*

Dat. Brixiae in Palatio Nostro Episcopali hac die 20. *Februarii* 1753.

(A. M. Card. Quirinus Episc.

Jacobus Pinzoni J. U. D. Cancell. Episc.

Brachium S. BENEDICTI *deductum fuisse e Monasterio Casinensi prope Civitatem Beneventanam sito ad Leonense Coenobium* (*nunc* Abbazia di Leno) *in Agro Brixiano fundatum, fidem facit Chronicon Regum Langobardorum ab anno* DLXVIII. *ad an.* DCCCLXXXIII. *Authore Monacho Monasterii Brixiani ad Leones olim celebratissimi. Antiq. Ital. Medii AEvi Tom. IV.*

Non longe post introitum Regni (*Desiderii*), & inchoationem hujus Coenobii (*Leonensis*) Domino cooperante, & praenominato Excellentissimo Rege translatum est a Civitate Beneventum de Casino Castro quaedam Corporis partem Beatissimi, atque Excellentissimi Confessoris BENEDICTI Abbatis, & ab Urbe Roma Corpora Beatorum Martyrum Vitalis, & Martialis, & in eodem Sacrosanctum conditum est Coenobio.

Viceversa Brixia ad Casinense Coenobium advectum fuisse Brachium S. FAUSTINI *ejusdem Urbis Patroni, fidem faciunt Chronicon Casinense Authore Leone Card. Episc. Ostiensi, & Chronicon Vulturnense Authore Johanne ejusdem Coenobii Monacho. Rerum Italic. Script. Tom. I. P. II.*

Chronicon Casinense loquens de Petronace Monacho Brixiano, qui Brixia ad Casini Coenobium profectus ante medietatem Secul. VIII. ejusdem constitutus fuerat Abbas, haec habet: Hic Ecclesiam Beati Martini, quam parvulam reperit, sedecim fere cubitos auxit; ibidemque absidam efficiens in honore Beatae Mariae semper Virginis, & Sanctorum Martyrum FAUSTINI, & JOVITAE, in ea Altarium statuit, in quo etiam Brachium unius illorum, quod secum de Brixia asportaverat, decenter recondidit.

Chronicon Vulturnense de eodem Petronace, factaque per ipsum Monasterii Casinensis restauratione tempore Zachariae Summi Pontificis ita loquitur: Hoc tempore idem Petronax Beati FAUSTINI Martyris Brachium illuc secum attulerat.

MO-

MONITUM AD HETERODOXOS.

Cavete, quaeſo, ne ex piis ritibus, ac ſolemnibus caerimoniis, quibus Caelites honorare, eorumque opem apud Deum depoſcere conſuevit Eccleſia Catholica, ſcandalum aliquod capiatis, ut mos veſter eſt; nam ſi rem ſerio perpendetis, ipſemet religioſus fervor ille noſter vobis demonſtrare valet, ſeu parum, ſeu nihil fiduciae in propriis Operibus bonis a nobis reponi, ac proinde omni ſtudio curari, ut Caelites apud Deum interceſſores nanciſcamur multo quidem utiliores, quam ſi inter nos modo degerent, horumque precibus ſeſe infirmitas noſtra commendaret, ea ſcilicet ratione, quam nec ipſi vos uſque adhuc, ceu in Chriſtum Mediatorem injurioſam, auſi eſtis improbare.

ΦΙΛΟΠΑΤΡΙΔΟΣ BRIXIANI

AD AEMILIANUM JORDANUM

Ord. S. Benedicti

Abdicata Cathedra Helmſtadienſi
ad Monaſterium Huisburgenſe proficiſcentem

ELEGIA.

POne metum, ad patrios propera, Jordane, receſſus,
Subtrahe, & indecori libera colla jugo.
Pone metum, primae nunc jam obliviſcere culpae,
Nec timeas turpes in tua probra notas.
Qualis mane novo rapuit cum lumina Solis
Nubibus, & pluviis turbidus Auſter aquis;
Tum mage cunctorum laetantur ſecla animantum,
Si reddat fracta Veſpere nube diem:
Sic, poſtquam noſtris digreſſus finibus ultro
Nunc revocas cupidum ad limina nota pedem,
Haeret majori quiſquis tibi vinctus amore,
Teque unum cunctis tollit ad aſtra modis.
Sed, fare, unde novi conſurgit gloria facti?
Quis tam praeſenti te Deus auxit ope?
Anne aevi noſtri decus immortale QUIRINUS*?*
Et te conſiliis juverit ille ſuis?
Ille quidem fuit. Umbroſas dum fontis ad oras
Carpit lanigerum pabula laeta pecus,
Inſtar ovis dulci procul a cuſtode recedis,
Et ſubis obſcura devia luſtra fuga.
Nec jam balantum te vox repetita ſororum
Perculit, aut cari ſibila nota ducis.
Adſtant mille tuo ſemper lateri ora ferarum
Impaſta, indomita quae rabida fame hiant.

Jam

Jam diris resonare audis rugitibus auras;
Quid nova te miseram pabula amata juvant?
At fugis: & tremulo strident si vertice frondes,
Instantem reris tunc ululare feram.
Si lapidem cursu offendis, sentemque recurvum,
Morsibus, & rabido te petit ore Lupus.
Quam bene nunc tuto te pax custodit ovili,
Et solvit longo pectora anhela metu.
Hic vigilesque canes, Pastorumque anxia cura,
Septaque noctivagis non superanda feris.
Cultus ager molles circum tibi sufficit herbas,
Temperat & siccam mobilis unda sitim,
Et grata ostentant frondosae umbracula silvae,
Dejicis & tuto languida membra thoro.
Haec, Jordane, tibi PASTOR *bonus otia fecit,*
Totque suo tibi sunt munere parta bona.
Vix etenim sensit te defecisse QUIRINUS
Heu quot deciduis ora rigavit aquis!
Omnes continuo silvas, saltusque peragrans
Lustrabat pedibus signa relicta tuis.
O quoties magna circum te voce vocavit,
Reddidit & nomen silva recussa tuum!
O quoties gressum tenuit, subrexit & aures,
Singultusque omnem pressit & ore sonum!
Et te saepe procul ratus est audisse gementem,
Atque illuc celeri mox pede flexit iter,
Et quamquam fictae delusus imagine vocis
Susceptae indoluit non tamen ille viae.
Saepe etiam irriguo si terra cruore madebat,
Illius heu, dixit, sanguine sordet humus,
Et lacrimis tristes oculos suffusus obortis
Crudeles dixit nomine saepe feras.
Cum subito (placuit nam Dîs relevare gementem)
Insonuit vocis cognita imago tuae.

Quis

Quis poterit cupidae dignoſcere gaudia mentis,
Quaeque tulit ſummo vota, preceſque Jovi?
Tunc te nec verbo increpuit, nec verbere plexit,
Solus tunc animi fraena regebat amor.
Sed collo impoſuit, capiti mille oſcula figens,
Et laetus ſocias reddidit inter oves.
Felices nimium tanto PASTORE *Capellae*
Ducite ſepoſito ſomnia tuta metu.
Cuncta licet veſtro monſtra inſidientur ovili,
Non poterunt moto frangere poſte fores.
Atque diu, o utinam! vobis hunc fata reſervent,
Non fuerit toto majus in orbe pecus.
Hoc precor: hoc pariter vellem, Jordane, repoſcas:
Hoc poteris tantis ſolvere te offitiis.

JORDANO SUO
ANGELUS MARIA CARD. QUIRINUS.

DUm adhuc verſibus hiſce imprimendis typothetarum operae laborarent, Goetinga certum nuncium accipio, Te non moras tantum rupiſſe ad ingrediendum iter Monaſterium tuum verſus, ſed eo jam perveniſſe, & pro Academica Toga Benedictinam rurſus geſtare. Haec ego legens in litteris ad me datis die VI. hujus menſis ab eo, qui in Hanoverenſi Ditione Apoſtolici Miſſionarii munere, quod ipſe ibidem geſſiſti, modo fungitur, gaudio propemodum exilivi, indeque non alio Te nomine, ut vides, compellandum duxi, quam JORDANI MEI, nam poſt reditum iſtum tuum, quem irretortis, ut mihi ſcribitur, oculis conſpexerunt Academiae Helmſtadienſis Doctores, quin univerſa ſtudioſae juventutis turba, plus oculis meis Te amo, ac proinde ſecurum eſſe jubeo, animi mei argumenta, quae Tibi non defuerunt, dum Goetingenſem Miſſionem adminiſtrares, ſeu dum iter illud parares, multo magis in poſterum adfutura; ſiqui-

dem

dem haud unquam obliviſcar, dona, & ſuſpiria mea caelo te peperiſſe. DEO SINT LAUDES, ET GRATIAE.

Quibus autem Te oculis abeuntem viderit Rothfiſcerus, an aliquos antea cum ipſo ſermones contuleris, vehementer ſcire aveo; nec enim diffido, ut ipſe quoque tua veſtigia ſectatus quam primum ad cor redeat, poſtquam ſcilicet intellexit, eos ipſos Magiſtros, quibus ſe addixit, haud diſſimulare, argumentationes meas *ad hominem* (ut vocant) in illum conjectas nullum prorſus effugium eidem reliquiſſe, vel unum iſtud dumtaxat, ut fateatur, ſe, dum inter Catholicos ſeu ex Cathedra docuit, ſeu libros conſcripſit, in eo ipſo ſcientiae genere, quo maxime eminere arbitrabatur, nihil prorſus intellexiſſe, nihil, inquam, de Philoſophico ſyſtemate, nihil de Methodo Wolfiana, de vi ſyllogiſtica, de Arte ratiocinandi, quin communi, pene dixerim, ſenſu caruiſſe; quandoquidem repente ſibi viſus eſt ea omnia praeſidia, quibus utens Heterodoxorum fallacias everterat, viciſſim ad eaſdem confirmandas poſſe ingenio ſuo converti. Suum autem iſtud verſatile ingenium non video quomodo ſperet Rothfiſcherus probare ſe poſſe Magiſtris, quos dixi, namque demta erit inde iiſdem omnis occaſio gloriandi, velut de parto triumpho, de hominis levitatem illam oſtentantis acceſſu ad eorundem ſcholas; & praeterea aegre admodum ferent, *Regnum Rationis*, quod praefidenter hiſce temporibus extollere in more habent legibus omnibus, & Majorum inſtitutis contemptis, per ingenium hujuſmodi derepente diruendi, & aedificandi, mutandique quadrata rotundis, quo praeditos ſe oſtendant primarii ejuſdem Regni aſſertores (quibus utique Rotfiſcherus adſcribendus) Regnum, inquam, illud prorſus corruere, quin fabulae inſtar deridendum omnibus propinari.

Faxit Deus, ut Sodalis ille noſter, quem ferunt uſque adhuc *honeſtiſſime vivere*, id tandem intelligat, nihil honeſtius ab ipſo fieri poſſe, quam ſi contritis laqueis, quibus temere ſe implicuit, ad priſtinum ovile revertatur. Vale.

Brixiae die XXI. Novembris an. MDCCLII.

ELEN-

ELENCHUS
CLARISSIMORUM PROFESSORUM
REGII TAURINENSIS ARCHIGYMNASII,

In quo argumenta rerum, quas ſinguli docebunt, indicuntur.

Anno MDCCLII-LIII.

HORA PRIMA MATUTINA.

R. P. Michael Caſati Mediolanenſis Ord. Cler. Regular. *In Theol. Morali. Exponet de Actibus humanis.*

D. Joannes Franciſcus Arcaſius a Biſtagno. *In Jure Civili. Part. V. Pandect. oſtendet.*

D. Joſeph Laurentius Brunus Taurinenſis. *In Anatome. Humani Corporis Fabricam, uſuſque ab ea ducendos explicabit. Die Sabbathi Anatomicas Theſes, & partis alicujus demonſtrationem alternis aperiet; & publicam Anatomen, aliaſque exercitationes in Theatro Anat. ſtatis temporibus habebit.*

D. Nicolaus Brovardus Aſtenſis. *Anatomes Prof. extraord.*

D. Carolus Michael Loterius Villanovenſis. *In Chirurgia Pract. Tradet de Tumoribus, Herniis, & de Vulneribus in genere; & ſtatuto tempore operationes chirurgicas ſuper humano cadavere publice perficiet.*

N. N. *In Matheſi. Perſpectivam, & utramque Architecturam demonſtrabit.*

HORA SECUNDA MATUTINA.

R. P. M. Auguſtinus Chignoli Tridinen. Ord. Praedic. *Oſtendet de Ordine, & Matrimonio.*

R. D. Franciſcus Antonius Chionius Monaſterias. *In Jure Pontif. Partem I. Juris Pontif. explicabit.*

D.

D. Bartholomaeus Boccardus Taurinensis. *Justinian. Imperat. Instit. exponet.*

D. Franciscus Andreas Adami a Murazzano. *In Med. Pract. Tractabit de Febribus.*

D. Ignatius Somis Taurinensis. *In Institutionibus Medicis.*

R. P. Laurentius Vacca Finariensis. Ord. Schol. Piar. *In Logica, & Metaphysica.*

R. D. Joannes Dominicus Chionius Monasterias. *Aget de Oratoria Imitatione; expendet Auctores optimos Eloquentiae; atque alios aliis componet.*

R. P. Joannes Baptista Beccaria Monregalensis Ordin. Schol. Piar. *In Physica.*

HORA PRIMA VESPERTINA.

R. P. M. Hyacinthus Sala Bergomas Ord. Praedicat. *In Theol. Schol-Dogm. Tradet de Fide, Spe, & Charitate.*

D. Vitelianus Donati Patavinus: *In Botanica exponet quae ex vegetabilibus, mineralibus, & animalibus ad medicam Praxim pertinent. Mensibus autem Majo, & Junio Rem Herbariam in Horto Botanico demonstrabit.*

HORA SECUNDA VESPERTINA.

R. P. M. Amedeus Agnesius Cuneensis Ord. Praedicat. *In sacra Scriptura. Aget de Locis difficilioribus Euangeliorum, & tradet Institutiones Linguae Hebraicae.*

D. Joannes Andreas Gastaldus a Brelio. *In Jure Civ. Part. I. Pandectarum ostendet.*

D. Petrus Franciscus Calcinus Taurinensis. *In Institutionibus Juris Canonici.*

D. Joannes Baptista Carburi Cephalenus. *In Med. Theor. Historiam, & Theoriam Morborum particularium exponet.*

D. Joseph Reynerius Taurinensis. *In Institution. Chirurgicis.*

D. Joseph Bartoli Patavinus. *Poeticam Aristotelis, Graecos, Italosque Scriptores interpretabitur.*

R. P.

R. P. Hyacinthus Gerdil Sabaudus Ord. Cler. Regular. S. Pauli. *In Philoſophia Practica.*

D. Philippus Revelli Monaſterias. *In Geometria. Euclidis Elementa, & Arithmeticam docebit.*

Excellentiſſimi Rei Literariae Magiſtratus mandato.

Philipponus.

FORMULA JURISJURANDI

A Profeſſoribus in Regia Univerſitate Auguſtae Taurinorum praeſtari ſoliti.

QUando Carolus Emmanuel Rex nos arceſſivit, juſſitque, ut in Academia bonis artibus, & praeceptis Juvenes informemus, neque ob id Catholicae Religioni, Principum poteſtati, Patrum inſtitutis, bonis moribus, dictis ſcriptiſve officiamus, idque legibus ſanxit; ob eam cauſſam, quemadmodum iis legibus ut haec omnia fiant comprehenſum eſt, ita praeſcriptum docendi modum cuſtodiemus: examinaturi Candidatos interrogationes, & argumenta celabimus: Nec aliis ſtudioſis iniquos, aliis indulgentes nos ipſi geremus. Ejus rei ergo in Academicas Conſtitutiones ex animi noſtri ſententia juramus, & Deum, cujus haec ſunt, quae tenemus, Euangelia, teſtem advocamus: Si ſcientes, prudenteſque fallimus, vivos nos ipſe Deus perjurii vindex aerumnis, lethoque datos, poenis afficiat.

Ego N. N. Profeſſor, ut his conceptis verbis praeſcriptum eſt, ita per haec Sancta Dei Euangelia ſpondeo, ac juro.

(Auguſtae Taurinorum v. Nonas Novembris MDCCLII.)

DI-

DIPLOMA
CLEMENTIS PAPAE VIII.
De Templo B. Mariae Virginis in Montibus Oropaeis.

CLEMENS EPISCOPUS Servus Servorum Dei. Universis Christifidelibus praesentes litteras inspecturis salutem, & Apostolicam benedictionem. Ineffabilia Beatae, & gloriosae semperque Virginis Dei genitricis Mariae meritorum insignia considerationis indagine perscrutantes, & intra mentis arcana revolventes, quod ipsa castissimo ejus utero humanae salutis Auctorem protulit, & sedulas preces pro expiatione nostrae fragilitatis ad eum, quem genuit, effundere non recusat, dignum quin potius debitum reputamus, ut in honorem tantae Matris dicata loca, Indulgentiarum muneribus decoremus, & ut illa a Christifidelibus frequentiori devotione frequententur, peccatorum remissiones favorabiliter impertimur, ut fideles ipsi piorum operum exercitio, abolita suorum macula delictorum, divinae gratiae reddantur aptiores. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Universitatis, & Hominum Terrae Biellae Vercellensis Dioecesis petitio continebat; Quod in montibus illic adjacentibus, de Oropa nuncupatis, quaedam antiquissima, & ex ligno confecta Imago Beatae Mariae Virginis reperitur, ad quam alias S. Eusebius, dum vixit Episcopus Vercellensis, fugiens Arianorum effraenatam in se rabiem, & persecutiones, confugit, eamque fuit maximo honore prosequutus, quin etiam ut quibusdam argumentis evidenter colligitur, ex tunc de cetero pro opere S. Lucae habita fuit, aestivo tempore infinitus peregrinorum, qui inibi novem dierum spatio cum maximo

ximo devotionis fervore perſiſtunt, numerus concurrit; pro quibus quidem ex tempore hoſpitio excipiendis multi viri, pia devotione ducti, & eidem Beatae Mariae Virgini devoti, quaſdam ſtantias & habitationes conſtrui fecerunt, & de praeſenti aliae ab aliis conſtrui facere curantur, ita ut in quibuſdam feſtivitatibus ejuſdem B. Mariae pluſquam quatuor millia perſonarum e longinquis remotiſque regionibus, & patriis undique confluant, ac a multis annis citra ibidem quaedam Capellae diverſa Myſteria repraeſentantes a quibuſdam particularibus fundatae exiſtunt. Nos igitur cupientes, ut ipſa Imago in debita veneratione habeatur, ac locus, & Eccleſia, in qua illa reperitur, a Chriſtifidelibus congruis frequentetur honoribus, illique eo libentius ad eandem Eccleſiam, & Capellas illi circumvicinas accedant, quo ex hoc dono caeleſtis gratiae conſpexerint uberius ſe eſſe refectos, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac BB. Petri, & Pauli Apoſt. ejus auctoritate confiſi, ómnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, qui verè poenitentes, & confeſſi, in die feſtivitatis Aſſumptionis B. M. Virginis annis ſingulis ſumpto Euchariſtiae Sanctiſs. Sacramento devote viſitaverint, & ibi pro S. Matris Eccleſiae exaltatione, Haereſumque extirpatione, ac inter Principes Chriſtianos conſervanda pace, pias ad Deum preces fuderint, plenariam omnium, & ſingulorum peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem, Apoſtolica auctoritate tenore praeſentium concedimus, & elargimur; eiſque, qui ſpatio novem dierum hujuſmodi ibi permanſerint, & novies Miſſam audierint, & ter omnes, & ſingulas Capellas praedictas viſitaverint, ut eas ipſas Indulgentias, & peccatorum remiſſiones, ac relaxationes, quas conſequerentur, ſi ſeptem Eccleſias ad id deſignatas de Urbe perſonaliter viſitarent, conſequantur, auctoritate, & tenore praemiſſis etiam concedimus, & indulgemus. Non obſtantibus &c.

UNIVERSITY OF ILLINOIS-URBANA
3 0112 102067789